GEORG. LAVRENTII HAVSFRIZ

NORIMBERGENSIS

DE

CAESARE

DESIGNATO SVCCESSORE


IMPERII ANTIQVI

COMMENTARIVS

AD ILLVSTRANDAM

HISTORIAM AVGVSTAM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



NORIMBERGAE,

SVMTIBVS IOANNIS STEIN.

ANNO MDCCXXXVII.

G. 12 L. 10

1751

Digitized by Google

VIRIS
PERILLVSTRIBVS ATQVE GENEROSISSIMIS
DOMINO
HIERON. GVIL.
EBNER
AB ESCHENBACH, DOMINO IN ARTELSHOFEN, GVTTENBVRG, GRVNREVTH, ET RELIQVA.
SACRAE CAES. ET REGIAE CATHOL. MAIESTATIS CONSILIARIO ACTVALI, CORONAE ET INSIGNIVM IMPERIALIVM CVSTODI, PERILLVSTRIS AC S. R. I. LIBERAE REIPVBL. NORIMBERGENSIS TRIVMVIRO, ECCLESIARVM ET SCHOLARVM EPHORO, VNIVERSITATIS ALTDORFINAE CVRATORI PRIMARIO, CANCELLARIAE AC CVRIAE TVTELARIS PRAESIDI,

DOMINO
IACOBO SIGISM.
PFINZING
AB ET IN HENFENFELD ET KIRCHENSITTENBACH
PERILL. REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS SENATVS INTIMI ET APPELLATIONVM MEMBRO, SCHOLARCHAE, VNIVERSITATIS ALTDORFINAE CVRATORI, ET GERONTOTROPHII LANDAVERIANI PRAEFECTO,

DOMINO

ADAM. RVDOL. GEVDER

AB HEROLDSBERG, STEIN, ET VNTERNDORF.
SENATVS INTERIORIS ET APPELLATIONVM MEMBRO, SCHOLARCHAE, CVRATORI VNIVERSITATIS ALTDORFINAE, PRAEFECTO RERVM FORESTALIVM ET XENODOCHII AD D. PETRI,

DOMINO

GEORG. CHRIST. VOLCAMER

A KIRCHENSITTENBACH.
SENATVS INTERIORIS ET APPELLATIONVM MEMBRO, SCHOLARCHAE, VNIVERSITATIS ALTDORFINAE CVRATORI ET RERVM FORESTALIVM PRAEFECTO.

DOMINIS MEIS PERQVAM GRATIOSIS
COMMENTARIVM HVNC DE CAESARE
D. D. D.
PERILLVSTRIVM
NOMINVM EORVM

CVLTOR HVMILLIMVS
GEORG. LAVRENT. HAVSFRIZ. NORIMB.

Digitized by Google

PERILLVSTRES DOMINI.

MErito, quicquid meum eſt in hoc libro, ad VOS redit, tanquam ad Mæcenates, quorum liberalitati, ſi quid profeci

in elegantiſſimis literis, plurimum debeo. Quem laborem meum, licet nec a doctrina, nec a uarietate rerum, nec a ſua magnitudine VOBIS commendare audeam; audeo tamen, quia pietatis & obſequii mei documentum eſt. Deinde, cum omnes fere, qui ſpecimina ſua literaria nomini VESTRO inſcribunt, (hi uero non pauci ſunt,) nil, niſi beneficia, quæ in illos contuliſtis, ſatis quidem ad defendendam cauſam ſuam, ciere poſſunt: ego, præter commune grati animi patrocinium mandato VESTRO munitus, quo ſtudia antiquitatis, omnisque hiſtoriæ, neglecta multis no-

ſtris

ſtris egregiis ceteroquin hominibus, præcipue excolenda tribuiſtis, oculis VESTRIS hunc commentarium ſubiicio. Explicare in eo conſtitui caput hiſtoriæ Auguſtæ, dignum ſi quid aliud, in quo aliquis eruditior me induſtriam & ingenium exerceret, ſed quod mirandum, non niſi aliud agendo uiris doctis & hiſtoriæ ſtudioſis tractatum. Hunc conatum complectamini, rogo, eadem gratia, qua me incognitum olim VOBIS, & immerentem dignati eſtis liberaliſſime. Et, ſicut pro innato amore VESTRO erga Muſas egiſtis, cum præclariſſimis illis & iucundiſſimis,

non

non æque planis ac breuibus ſtudiis operam dantem me aluiſſetis: ita ſummi beneficii loco nunc erit, oſtendere, quomodo Per-Illuſtri Reipublicæ VESTRAE, cuius bono me totum deuoui, ea cum fructu adprobare poſſim. Valete. Dabam Norimbergæ, III. Idus Ianuar. A. O. R. cIↄ Iↄ cc XXXVII.

Præ-

Digitized by Google

PRAEFATIO.

NOmen Cæſaris, quo Collega imperii, ſecundi ab Auguſtali faſtigio gradus, & heres maieſtatis Auguſtæ futurus, a Seculo II ſignificatur, toties in numis, marmoribus, libriſque ueterum legitur, ut, ſi minus illuſtrem in republica perſonam indicaret, tamen ob frequentem eius mentionem factam, natura eius inueſtigari, & exponi ſcripto mereatur. Verum enim uero, neſcio quo fato accidit, ut inter tot eruditos homines, & ſtudioſiſſimos omnis antiquitatis, quos præſens & præteritum ſeculum, bono omnium ſcientiarum tulit, nullus ei animum adiiceret,

ut tam nobile argumentum uix mediocri ingenio tractandum relinqueretur. Equidem non prorſus intactum manere potuiſſe, facile uidet, qui nouit Caſaubonum olim & Salmaſium Scriptores hiſtoriæ Auguſtæ luculentis commentariis edidiſſe. Præter hoſce duumuiros, Onuphrius Panuinius etiam, in libello de Comitiis Imperatoriis eleganti, Iacobus Gutherius in libris de officiis domus Auguſtæ, Iul. Cæſar Bulengerus in opere ingenti, quod de Imperatore Romano compilauit, Henr. Dodvvel in Prælectionibus ſuis Camdenianis, Anton. Pagi in Critica ad Baronium, Io. Chriſtoph Becmannus in Syntagmate dignitatum illuſtrium, Io. Harduinus paſſim in Operibus ſelectis, Ezechiel Spanhemius in æterno illo de Vſu & præſtantia numiſmatum, & alii auctores, nonnulla, eaque egregia tradiderunt. Sed, ſaluo honore, quem clariſſimis his uiris defero, affirmare auſim, uix triceſimam partem dictam fuiſſe eorum, quæ dici poſſent, ac debent, ſi munera

omnia,

omnia, & partes dignitatis Cæſareæ diſtinctæ, & cum apparatu eſſent proponenda. Cum enim eruditiſſimi homines quidam integros libros ſuper columna aliqua ueteri, aut arcu, aut marmore, numo, gemma, epocha imperii, aut tribunitia poteſtate unius cuiusdam principis, compoſuerunt; an ſpatium uiginti uel triginta paginarum credimus notitiam faſtigii Cæſaris plenam complecti poſſe? ubi propter fœcunditatem & diuerſitatem materiæ, omnia ea monumenta non ſolum conſuli, ſed etiam explicari, & uindicari ſæpenumero contra falſas aliorum interpretationes, accuſationesque debent. Quæ cum ita ſint, ſi quis in hoc commentario plures interdum teſtes, nonnulla item, quæ locum habere poſſent, ommiſſa deſiderabit; ſi imperfectum & ſterilem dicet; is ſciat, neque nos fugere loca illa deſerta, neque fontes, unde, ſi frui eis liceret, ornamentum maius & pretium labori noſtro accederet. Quorum quamdiu copia nobis non

datur, fruſtra angimur. Si fortuna propitia dominum aliquando bibliothecæ inſtructioris nos faciet, tum & Cæſar noſter procedet auguſtior. Interea uale, Lector, eique faue.

* * *

ELENCHVS
CAPITVM ET PARAGRAPHORVM.

CAPVT I.
DE VARIO MODO SVCCEDENDI IN IMPERIO ROMANO ET ORIGINE DIGNITATIS CÆSAREÆ.

§. 1. *C. Julius Cæſar, primus Romanorum Imperator imperium familiæ ſuæ acquiſiuit. Locus quidam Dionis explicatus.*

§. 2. *C. Cæſar Octau. Auguſtus duplici hereditatis & victoriæ titulo ad imperium peruenit.*

§. 3. *Tiberius & Caligula, uterque titulo hereditario imperauit. Caligula quare Sorores omnibus iuramentis pro imperio incluſas uoluerit?*

§. 4. *Caligula ultimus familiæ Cæſaris fuit. In Claudio forma imperii hereditaria mutata in electitiam. Cognatio Cæſ. Auguſti titulus imperii acquirendi. Claudius quo ſenſu domui Cæſaris uulgo adſcribatur.*

§. 5. *Claudius & ſucceſſores nomen Cæſaris honoris & boni ominis cauſa retinent, omnibusque ſuis filiis præter Vitellium imponunt, usque ad Traianum. An patribus, Auguſtis, loco prænominis, filiis, tanquam cognomen ordinarie additum ſit?*

§. 6. *In Traiano nomen Cæſaris hucusque quaſi gentilitium, abiit in nomen dignitatis. Aurel. Victor, Spartianus & Capitolinus explicati.*

CAPVT

* * *

CAPVT II.

DE POTESTATE ET RATIONE CONSTITVENDI CÆSARIS.

§. 1. *Cæſarem faciendi poteſtas penes Imperatorem. Num Senatui & militibus ulla in eo pars fuerit?*

§. 2. *Interdum duo aut tres Cæſares aſſumti. Vnus eorum ordine potior fuit.*

§. 3. *Num ætatis rationem Imperatores in conferenda dignitate Cæſaris habuerint? Princeps quomodo legibus ſolutus dicatur?*

§. 4. *Nomen Cæſaris a decreto Imperatoris unice, non a conditione naſcendi dependit. De filiis Imperatorum qui Cæſares dicti non eſſent. Herodianus notatus.*

§. 5. *De Titulo Nobiliſſimi, & origine eius.*

§. 6. *De Titulo Principis iuuentutis. Numus quidam Auguſti & Gothicus explicatus. Auguſti ſeneſcente imperio, Principes iuuentutis in numis interdum dicti.*

§. 7. *Num Imperatores, & Cæſares neceſſe habuerint Patriciis adſcribi? Poteſtatis tribunitiæ Imperatorum, & ueterum Tribunorum inſignis differentia.*

CAPVT III.

DE INSIGNIBVS ET PRIVILEGIIS DIGNITATIS CÆSARIS.

§. 1. *Inſignia Imperatorum & Cæſarum initio ex militia petita. Inſigne primarium Purpura. Capitolinus explicatus.*

§. 2. *De Diademate, An Cæſaribus uſurpatum fuerit?*

§. 3. *De Calceis rubris & gemmatis.*

§. 4.

✱ ✱ ✱

§. 4. *De Igne Sacro Imperatoribus & Cæſaribus prælato.*

§. 5. *Faſtigii Auguſtalis & Cæſarei differentia in quo conſtituenda?*

§. 6. *Priuilegia dignitatis Cæſar. & de maieſtate quidem Cæſarum perſonali.*

§. 7. *Hac tamen minime eos exemtos a ſuprema poteſtate, & iudicio Auguſtorum fuiſſe, probatur. Regis Romani in imperio hodierno conditio nobilior.*

§. 8. *De Jure imaginem ſuam monetæ imprimendi Cæſaribus competente. Diſcrimen quale in numis Cæſarum & Auguſtorum obſeruetur?*

§. 9. *Nomen Auguſti & Cæſaris legibus & edictis imperialibus præſcriptum.*

§. 10. *Imagines Auguſtorum & Cæſarum ſimul collocatæ.*

§. 11. *Honor adorationis Auguſtis & Cæſaribus communis.*

§. 12. *Vxores Cæſarum num Auguſtæ ſalutatæ fuerint? Auguſtorum in nuptiis Cæſarum dirigendis auctoritas. Feminæ ex familia Imperatoria ortæ arbitrio principis elocatæ. Auguſtæ uiduæ factæ nuptias ſecundas ſæpe detrectant. Dignitas Conſularis, & ornamenta Conſularia filiabus & affinibus Imper. feminis data.*

§. 13. *De uotis publice pro ſalute Cæſarum ſuſceptis.*

§. 14. *De natalibus Cæſarum. Natalis, quilibet dies felicitate aliqua notabilis, antiquis dicebatur.*

§. 15. *Anni dignitatis Cæſareæ quinquennalibus & decennalibus diſtincti. Eorum origo. Vota quinquennalia in republica libera uſitata.*

§. 16. *De funere Cæſarum & Conſecratione.*

§. 17. *Miniſteria Cæſarum aulica, eadem quæ Auguſtorum fuerunt.*

CAPVT

* * *

CAPVT IIII.

DE POTESTATE CÆSARIS IN REGIMINE IMPERII.

§. 1. *Poteſtas Imperatoris Romani ad duo capita commode redigitur. Ea Cæſaribus nonnunquam iisdem formulis, quibus Auguſtis, delata fuit. Ita proconſulare imperium non raro ante & poſt Traianum iis datum.*

§. 2. *Cæſares expeditionibus ſæpe præfecti. Imperium eorum militare paulo reſtrictius. Quartum Imp. Domitiani ſtipendium quale fuerit. Cæſares prænomen Imperatoris interdum accipiunt ab Auguſtis. Ant. Pagi ſententia refutatur. Accipiunt etiam cognomina a deuictis populis. Jus auſpicii penes Cæſares fuit. Præponuntur expeditionibus tantum maioribus.*

§. 3. *Dignitates Cæſarum in Vrbe; & de Conſulatu in ſpecie. De iure relationis Augg. & Cæſarum. Cæſares interpretes uoluntatis Auguſti apud Senatum.*

§. 4. *Cæſares Prætores interdum fiebant.*

§. 5. *Item Quæſtores.*

§. 6. *An morum Præfectura iis quoque fuerit commiſſa?*

§. 7. *Tribunitia poteſtas Cæſaribus ſæpe conceſſa. Inter Cæſarem & Collegam imperii poſt Traianum nullum diſcrimen fuiſſe oſtenditur, contra Ant. Pagi.*

§. 8. *Cæſares an ad Pontificatum etiam maximum ab Auguſtis uocati fuerint? Cæſares in omnia collegia ſacerdotum extra ordinem cooptati.*

§. 9. *Modi dignitatis Auguſtæ Cæſaribus obtinendæ duo, mors Auguſti, aut voluntaria collatio.*

§. 10. *Dignitas Regis Romani hodierni antiquæ illi Cæſaris aliquo modo ſimilis eſt.*

Q. D.

Q. D. B. V.

CAPVT I.

DE VARIO MODO SVCCEDENDI IN IMPERIO ROMANO ET ORIGINE DIGNITATIS CAESAREAE.

RESPVBLICA Romana inde a temporibus C. Julii Cæſaris, arbitrio Principum ſuorum recta eſt. Hi ad imperium non eodem omnes nomine, nec titulo, quo ille, & filius, C. Cæſar Octauianus, huiusque poſteri, ſed partim Senatus beneuolentia, partim militari ui, partim etiam uoluntate & deſignatione antecedentis Imperatoris peruenerunt. Cæſar ſummam ſibi in Romanos potentiam armis parauit, uerum, ne inuaſiſſe more tyrannorum uideretur, & animos ciuium iugi impatientes facilius demulceret, eam ſibi a

I. C. Iul. Cæſar primus Rom. Imperator imperium ſibi & familiæ ſuæ acquiſiuit.

Senatu & populo deferri, ut ſponte egiſſe uiderentur,* qui reſiſtere amplius non poterant, & quidem Imperatoris, dictatoris & perpetui Conſulis nominibus, in antiqua republica ſatis uſitatis, non exoſo regis, aut ſuperbo domini, uoluit.

Neque uero hic ſubſtitere Romanorum adulatio & metus, neque, quæ ei decreuerant iura ſummi imperii, intra perſonam ſolius Cæſaris contineri, aut cum eo extingui, ſed nomini & familiæ Cæſaris coniungi, arctiſſimo & perpetuo nexu, uoluerunt. Itaque gens Cæſarum ultra priuatam ſortem euecta, familiaque imperans, & quæ una tantum Romæ principes ſuos daret, conſtituta fuit. Suffragatur ſententiæ meæ ſcriptor conſularis, Dio Caſſius**: τό τε αὐτοκράτορος ὄνομα—καὶ νῦν τοῖς τὸ κράτος ἔχουσι διδόμενον ἐκείνῳ (Καίσαρι) τότε, πρώτῳ τε καὶ πρῶτον, ὥσπερ τι κύριον, προσέθεντο. Καὶ τοσαύτῃ δὲ ὑπερβολῇ κολακείας ἐχρήσαντο, ὥστε καὶ τοὺς παῖδας τούς τε ἐγγόνους αὐτοῦ οὕτω καλεῖσθαι ψηφίσασθαι· μήτε τέκνον τι αὐτοῦ ἔχοντος, καὶ γέροντος ἤδη ὄντος. *Romani*, inquit, *nomen imperatoris, quod & bodie iis, qui ſummam rerum obtinent datur, tum primum Cæſari attribuerunt tanquam proprium****. *Eo etiam adulationis progreſſi, ut filios eius nepoteſque ita nominari iuberent, quum neque filium haberet ullum, & iam ſenex eſſet.* Hoc uero nomen, ad filios Cæſaris

* Dio Caſſius Lib. LIII. p. 344. edit. Rob. Stephani.
** Lib. XXXXIII. p. 154.
*** Prænominis loco. Sueton. in Iul. c. 76.

ſaris peruenire non uoluerunt, ita, ut memoriam fortitudinis, & gloriæ paternæ tantum renouaret, uti qui a Tito Manlio Torquato, aut Q. Fabio Maximo orti ſunt, omnes Torquati & Maximi audiunt; ſed ut ſummum imperantem ſignificet, quo etiam ſenſu pater primum accepit. Idem Dio tradit, * inter alios plurimos honores decretum Cæſari fuiſſe, ut, ſi filium gigneret, aut quem adoptaret, is Pontifex Maximus conſtitueretur. Omnium uero optime intellexit Mæcenas, quantum ad imperium iuris daret nomen & genus Cæſaris: ita enim Auguſto hæſitanti poſt uictoriam Actiacam, ſub quonam nomine rempublicam regeret, recte ſuadet apud eundem, ** ὥς γε τὸ μὲν πρᾶγμα τὸ τῆς μοναρχίας αἱρῇ, τὸ δ' ὄνομα τῆς βασιλείας ὡς καὶ ἐπάρατον φοβεῖσθαι, τοῦτο μὲν μὴ προσλάβῃς, τῇ δὲ δὴ τοῦ Καίσαρος προσηγορίᾳ χρώμενος, αὐτάρχει. εἰ δ' οὖν καὶ ἄλλων τινῶν κλήσεων προσδέῃ, δώσουσι μέν σοι τὴν τοῦ αὐτοκράτορος, ὥσπερ καὶ τῷ πατρί σου ἔδωκαν. *Quod ſi unus imperii ſummam re ipſa tibi ſumes, regni autem nomen ceu execrabile reformidas, potes eo ommiſſo ſub Cæſaris nomine omnia in tua poteſtate habere. Sin alias etiam appellationes deſideras, dabunt tibi imperatoris titulum, etiam patri tuo quondam datum.* Obſtare quidem huic orationi Mæcenatis uidetur locus hic Dionis: *** ὁ τοῦ καίσαρος, ὅτι τοῦ Αὐγούστου πρόσρησις δύναμιν μὲν

 ἰδί-

* Lib. XXXXIIII. p. 160.
** Lib. LII. p. 334.
*** Lib. LIII. p. 345.

οὐδεμίαν αὐτοῖς οἰκείαν προστίθησι, δηλοῖ δὲ ἄλλως τὸ μὲν, τὴν τοῦ γένους σφῶν διαδοχὴν, τὸ δὲ, τὴν τοῦ ἀξιώματος λαμπρότητα; *Cæſaris*, inquit, *& Auguſti vocabula nihil imperatoribus propriæ quidem potentiæ adiiciunt, ſed alterum ſucceſſionem ſtirpis, alterum ſplendorem dignitatis ſignificat:* reuera autem nihil repugnat, modo eum recte interpretemur. Nimirum, nihil potentiæ dat nomen Cæſaris, poſtquam Auguſto & ſucceſſoribus non abſolute, ſed uirtute poteſtatis tribunitiæ, cenſoriæ, proconſularis, pontificiæ, &c, principibus uno ſenatus conſulto ſemper dari ſolitæ, cuncta regere, & umbram ueteris reipublicæ Romanis relinquere placuit. Quid uero, ſi Auguſtus, aut alius expectare noluiſſet tale ſenatus conſultum? ego vero credo, tum ſolum Cæſaris nomen, loco omnium fuiſſe. Splendide etiam Juſtinianus Imperator * de eo, *nominatiſſimum*, ait, *apud omnes terræ populos Cæſaris nomen eſt, & nos præter omnes alias imperatoriæ maieſtatis notas eo gloriamur.*

II. C. Cæſ. Octau. Auguſtus duplici hereditatis & uictoriæ titulo ad imperium peruenit.

Iulio Cæſari, quamuis filius natus non eſſet, teſtamento tamen factus eſt C. Octauius. Hic certe, uti nominis Cæſarei & bonorum, ita etiam imperii ** heres eſſe debuit; ſed Caſſii & Bruti factione, inuidiaque Antonii & Lepidi, dein iuuentute & metu (nam populus cædem Cæſaris approbare ab initio

* In præfatione ad Novell. XXX.
** Dio L. XXXXV. init, p. 178.

tio dicebatur,)* excluſus per XIII. annos eſt ab imperio, quod pater fatis præuentus, poſteris ſuis ſtabile reddere non potuit. Quare ſumma reipublicæ, ſed perbreue ſaltem tempus ad Senatum rediit, cuius a partibus contra M. Antonium ipſe initio ſtetit Cæſar Octauianus. Nam eodem anno Cæſar, Senatui diffiſus, cum Antonio quem amicum ſibi fecit, & M. Lepido magiſtro equitum Jul. Cæſaris, fœdus ſanciuit, regimenque urbis, & prouincias & legiones diuiſit. Itaque hiſce triumuiris reſpublica aliquot annis adminiſtrata fuit, donec exorta inter eos diſcordia primo M. Lepidus potentia excideret, M. deinde Antonius, ſuſpectus Cæſari & Romanis, quaſi urbem cum imperio feminæ barbaræ & intolerabilis ſuperbiæ ſubiicere ſtuderet, apud Actium uictus, mortem ſibi conſciſceret. Hac uictoria omnis ad Cæſarem poteſtas, quaſi poſtliminio rediit; isque pacato orbe, ſecundus a patre imperator, plus quadraginta annis, res Romanas moderatus eſt. Equidem eum non nego ius ſuum accipiendi imperii potius in uictoriis ſuis ** & decretis honorificentiſſimis Senatus, quibus nouo & uenerando AVGVSTI cognomine afficiebatur, poſuiſſe: ſed tantum abeſt, ut hæc tollant ius a Iulio olim familiæ ſuæ acquiſitum, & in eum, uirtute adoptionis deriuatum, ut

 po-

* Dio, ibid. p. 179.

** Cf quæ Dio de uictoriæ ſtatua ab Auguſto in curia Iulia poſita habet, Lib. LI, p. 311.

potius ex duplici fundamento ad imperium adſpiraſſe dicendus ſit, quorum prius ſatis quidem ſolidum, alterum, magis glorioſum eſt, & ab Auguſto prælatum.

III. Tiberius & Caligula, uterque titulo hereditario imperauit.

Auguſti ſucceſſores, Tiberius, & Caligula, nullo alio titulo nixi ſunt in conſequenda imperatoria dignitate, quam, quod aſſumti in nomen Cæſaris, genus ad Auguſtum & Julium referre poſſent. Tiberius quidem, cum filius eſſet & heres Auguſti, magis honorificum duxit,* uocatum electumque a republica uideri, quam per uxorium ambitum, & ſenili adoptione irrepſiſſe: ſed erant hæc ad decipiendum efficta, neque ullo modo melius, quam cunctando, abnuendo, recuſando, mentes ſenatorum explorari ab eo poterant. Jam uero apud milites & in prouinciis cuncta imperatoris munia obierat, *nunquam*, ſicut Tacitus** ſcribit, *contabundus, niſi cum in ſenatu loqueretur.* Idem cum de ſucceſſore cogitaret, neque in domo Cæſaris inueniret, qui tantæ moli ſuſtinendæ aptus eſſet, Caligulam tamen nepotem eligere, quam alium maluit, *** *ne, ſi extra domum ſucceſſor quæreretur, memoriam Auguſti, ne nomen Cæſarum in ludibria, & contumeliam uerteret.* Caligulæ addidit teſtamento alterum nepotem ſuum, prætextatum adhuc, **** quem uero ille ab

* Tacitus Annal. L. I. c. 7.
** Ibid.
*** Tac. Annal. L. VI. c. 46.
**** Sueton. Calig. c. 14.

ab hereditate repulit, Tiberium mentis non fuiſſe compotem dicens, cum puero, cui per ætatem aditus in curiam non eſſet, imperium tradidiſſet.* Caligula quoque, ut iuramenta omnia, quæ in eius imperium præſtarentur, ad ſorores ſpectarent, & relationibus Conſulum adiiceretur, *quod bonum felixque ſit C. Cæſari, ſororibusque eius,* uoluit. ** Sunt, qui inſaniæ & inceſto amori eius id tribuant; ego uero indicare eum uoluiſſe puto Romanis, has eſſe ſorores ſuas, ad quas imperium, tanquam bonum patrimoniale Cæſarum, ſi ſine liberis moreretur, peruenturum ſit, eumque imperatorem Romanis fore, quem illæ aut maritum eligerent, aut filium & heredem haberent.

IIII. Caligula ultimus famil. Cæſ. In Claudio forma imperii hæreditaria mutata in electitiam.

Interfecto Caligula, ultimo ſtirpis Cæſareæ, Senatus de abolendo Imperatoris nomine & poteſtate cenſuit, *** crudelitate Tiberii & flagitiis Caligulæ irritatus, id quod nunquam ſane feciſſet, ſi principum horum regimen paulo ciuilius fuiſſet. Nequicquam uero in libertate ueteri reſtituenda laborauit, prætoriano milite Claudium, Druſi filium, inſciis patribus, ad quos & ad populum, omnis maieſtas imperii & ius prouidendi de ſucceſſore redierat, imperatorem ſalutante. In quo principe imperium Romanum primo a Cæſaribus ad aliam familiam, Claudiorum, peruenit, ſi quidem

* Dio L. LVIIII. p. 438.
** Sueton. Calig. c. 15. Dio, Lib. LVIIII. p. 439.
*** Sueton. Calig. c. 60. Joſeph. Ant. Jud. Lib. XVIIII. c. 2.

quidem nec ipſe, nec pater ejus, in nomen Cæſaris unquam aſſumtus legitur; ut proinde ii, qui in Nerone demum Cæſaream ſtirpem defeciſſe credunt, meo iudicio non recte faciant. Certe Imperator Galba duas domos imperium ante ſe iam tenuiſſe innuit; * *loco*, inquit, *libertatis erit, quod eligi cœpimus & finita Iuliorum Claudiorumque domo, optimum quemque adoptio inueniet.* Verum, Claudius ut ad ſummum iſthoc faſtigium a militibus eueheretur, eueniſſe puto, quod Druſum clariſſimum ducem, patrem, Liuiam Auguſtam, auiam haberet. Tantum ſcilicet dabant Romani memoriæ Cæſaris, & Auguſti, ut, quocunque modo aliquis coniunctus iis eſſet, is præ nobiliſſimo quouis alio Romanorum dignus imperio iudicaretur. Ita C. Caligula M. Lepidum, ſororis Druſillæ maritum, & Auguſti pronepotem, cui etiam quinquennio ante, quam legibus permitteretur, magiſtratus adire conceſſerat, ipſe ſibi ſucceſſorem deſtinauit. ** Nero etiam cum ueneno ſuſtuliſſet fratrem Britannicum, *unum ſe ſupereſſe e familia ad ſummum faſtigium genita* gloriatur. *** Eadem de cauſa nonnulli Iunium Silanum, Auguſti abnepotem, **** præ Nerone ad imperium poſcebant, & Iunia Silana grauiter apud Neronem inſimulabat Agripinam matrem

* ap. Tacit. Hiſtor. L. I. c. 16.

** Dio L. LVIIII. p. 451. Lipſius in coment. ad L. XIIII. Annal. Tac.

*** Tacit. Annal. XIII. c. 17.

**** Id. Annal. L. XIII. c. 1.

trem eius, deſtinauiſſe eam dicens Rubellium Plautum * *per maternam originem pari ac Nero gradu a diuo Auguſto, ad res nouas extollere, coniugioque eius etiam imperio rempublicam rurſus inuadere* Nec Torquatus Silanus ** aliam ob cauſam a Nerone interfectus eſt, quam quia ſuper Iuniæ familiæ claritatem diuum Auguſtum atauum ferebat; neque Vitellius ullum hoſtem magis, quam *Iunium Blæſum* timuit, *Iunios, Antoniosque *** auos iactantem, & qui ſe ſtirpe imperatoria comem ac magnificum militibus oſtenderet.* Rurſus Claudium Imp. lego Agrippinam fratris filiam duxiſſe, quod uereretur, *ne claritudinem Cæſarum aliam in domum ferret.***** Formula igitur Imperii Romani, patrimonialis & hereditarii ſub Cæſaribus, in Claudio mutata fuit in electitiam, ut is Imperator in poſterum eſſet, qui digniſſimus uideretur. Atque eo iure omnes poſt Caligulam imperatores cenſendi ſunt; nec turbare quemquam debent Muciani uerba apud Tacitum, † Veſpaſianum dicentis *non contra Caii quidem, aut Claudii, vel Neronis fundatam longo imperio domum exſurgere;* uulgo enim Cæſaribus auctores annumerant Claudium, quod & nepos Liviæ, & in palatio educatus †† eſſet.

 Idem

* Tac. Annal, XIII, c. 19.
** Id. Annal. XV. c. 35.
*** Tac. Hiſtor. III. c. 38.
**** Id. Annal. XII. c. 2.
† Hiſtor. L. II. c. 76.
†† Sueton. in Claud. c. 6.

Idem uidemus in hiſtoria regni Germanici ab omnibus ſcriptoribus fieri, Arnulphum Imp. primo noſtrorum regum e ſtirpe Caroli M. ordini adſcribentibus. Verum ſi accurate, & moribus Germaniæ conuenienter loqui uelimus, neceſſe eſt dicamus in Carolo Craſſo anno Chriſti DCCCLXXXVIII. familiam magni illius imperatoris in Germania iam deſiiſſe. Arnulphus enim qui propagaſſe gentem Caroli dici poteſt, ad quam nunquam ceu filius nothus pertinuit? Nam ſeculo VIIII. iam, ut quis ſplendorem regiæ aut principalis familiæ ſuſtinere poſſet, requirebatur non ſolum, ut quis filius tam illuſtris parentis audiret, ſed etiam, ut ex legitima uxore procreatus eſſet. Deinde non iure ſanguinis, ſicut pater & auus, ſed libera primorum electione ad regnum peruenit. Quomodo vero electio locum habere potuit, ſuperante maſculo a Ludouico Germanico oriundo?

V. Claudius & ſucceſſores nomen Cæſaris honoris & boni ominis cauſa retinent, & omnibus ſuis filiis imponunt, usque ad Traianum.

Vitellium reſpuiſſe primo uocabulum Cæſaris ſcribit Tacitus.* Quid? nomen tam fauſtum, tam illuſtre? addit ſcriptor grauiſſimus rationem, *quod de poteſtate nihil detraheret.* Et recte quidem. Fundabat enim Vitellius ius ſuum in ſuffragiis militum Germanicorum, & populi Romani, qui uicto Othone, Auguſtum eum appellauit, non in iure Cæſaribus acquiſito, quod expirauerat cum C. Caligula. Verum & Vitellius tandem Cæſaris nomen admiſit, ſed ſuperſtitione,** ad incitas a Veſpa-

* Tac. Hiſt II. c. 62. Plutarch. in uita Galbæ p. m. 362.
** ibid. c. 58.

Veſpaſiano redactus. Ipſa autem electio raro ſenatui & populo relicta eſt, ſæpe apud milites & ipſos imperatores ſtetit. Nomen Cæſaris Claudius & omnes poſt eum principes retinuerunt, & cum filiis, quamquam non ſemper eodem ſenſu, communicarunt, honori C. Iulii Cæſaris & filii Cæſ. Octauiani, conditorum imperii, in eo aliquid tribuentes. Ita enim Cæſaris genus non interiiſſe, ſed in æternum propagari uidebatur, nouo quouis principe in eius nomen uelut quaſi adoptione, aut iure hereditario ſuccedente.* Quantum ad ipſos patres Auguſtos attinet, res clara eſt; de filiis ſaltem Cæſaris nomine ornatis teſtimonia adducam. Et de Claudio Britannico quidem extat numus, cuius etiam Ill. Spanhemius meminit,** imaginem eius referens, cum epigraphe græca ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Domitius Aggrippinæ filius a Claudio adoptatus pariter CAESAR ante imperium dictus eſt, idque lapides & numi docent. Galba princeps, adoptauit Piſonem, & dixit ſimul Cæſarem.*** Titum & Domitianum, Veſpaſiani filios, Senatus, uti Dio † teſtatur, declarauit Cæſares, quamquam eos id nomen antea a militibus datum, geſſiſſe, nonnulla Taciti produnt. †† Domitiano natus eſt ex uxore Domitia filius, breui poſt infans mortuus. Hunc uero Cæſarem dictum, probat nu-

* Lamprid. in Alex. Sever. c. 2.
** De uſu & præſt. numiſmatum, diſſ. VI. p. m. 647.
*** Tac. Hiſt. I. c. 29. 30.
† Lib. LXVI. init.
†† Hiſtor. III. in fine. & L. V. c. 13.

numus Domitiæ, cum effigie pueri ſuprá globum inter aſtra collocati, ſeu ſideribus recepti; eius enim in inferiori parte legitur, DIVVS CAESAR IMP. DOMITIANI F. † Spanhemius annotauit in doctiſſimo de uſu & præſtantia numiſmatum opere, †† nomen Cæſaris poſt Neronis tempora, Auguſtis pariter ac filiis attribui in numis antiquis, ſed ita, ut illis loco prænominis ſit, his, quaſi cognomen adđatur; ut e. g. Titus, qui uiuente patre dicitur TITVS VESPAS. CAESAR, idem poſt acceptum imperium IMPERATOR CAESAR TITVS VESPASIANVS AVG. audiat. Verum enim uero plane non uideo, quid nam ex prænomine Cæſaris, parentes AVGVSTI præcipui præ filiis, conſecuti ſint. Neque etiam in numis imperatorum ante Neronem talis ordinis ratio habetur, & poſt eius tempora numi quamplures inueniuntur, ubi cognominis loco, uocabulum Cæſaris poſtponitur. ††† Aliter ſe res habet in nomine Imperatoris, quod perpetuo reliquis omnibus præpoſitum uidemus. Id enim Iul. Cæſari tanquam prænomen, quo ſummum pacis & belli arbitrium ſignificaretur, inditum a Senatu, inaudito adhuc exemplo, fuit; cognominis autem loco & in

† Spanheim lib. cit. diſſ. VII. p. 650.

†† Diſſ. VIII. p. 661.

††† Ex. gr. In numis Neruæ, quorum Inſcriptio hæc eſt: IMPERATOR NERVA CAESAR AVG. &c. apud Harduinum in Hiſt. Auguſta ex numis. Opp. Select. p. 745.

in libera republica, & ſub Cæſaribus, priuatis & principibus ob uictorias datum. Præterea duo numi Domitiani, uiuente Veſpaſiano patre cuſi, repugnant, quorum uterque in aduerſa parte imaginem eius lauro coronatam refert, cum epigraphe, CAESAR DOMITIANVS CONS. DES. II.*

VI. Poſt Neruam nomen Cæſaris hucusque quaſi gentilitium abiit in nomen dignitatis.

Hoc modo, & ad hoc tempus uſque, Auguſti & Imperatoris titulus, tanquam ſummæ maieſtatis & potentiæ, parenti proprius, Cæſaris nomen, ac ſi eſſet familiæ, principi, & filiis nepotibusque eius, commune fuit. Non idem remanſit mos ſub Nerua. Is enim, cum Traianum adoptaret, Cæſaremque appellaret, non tam ut filium haberet, quam collegam laborum, Traianus deinde exemplum Neruæ, Hadrianus Traiani, in adoptandis adultis hominibus & rerum peritis, ſequeretur, nomen Cæſaris gentilitium mutatum eſt in nomen dignitatis. Nunc facile erit intelligere, quid ſibi uelint Aurelius Victor, & Aelius Spartianus, quorum ille originem nominis Cæſarei filiis principum impoſiti, ad Traiani, hic, ad Hadriani tempus retulit. En uerba Victoris.** *Abhinc diuiſa nomina Cæſarum atque Auguſti: inductumue in rem publicam, uti duo ſeu plures ſummæ potentiæ, diſſimiles cognomento, ac poteſtate diſpari ſint.* Equidem Caſpar Barthius

 iam

* ap. Harduinum l. c. p. 735.
** De Cæſarib. c. 13.

iam olim monuit, * haud rigide accipienda eſſe utriusque ſcriptoris uerba; Spanhemius uero, ** manifeſti erroris eos, & qui inter recentiores, ita ſtatuerunt Iſacum Caſaubonum, *** & ſectatores arguit: neque ſi uerba uictoris abſolute accipiamus, ob ea quæ ſupra aſſeruimus, eum ullo modo defendi poſſe credo. Quid uero ſi dicamus Victorem hoc loco de titulo Cæſaris, alio circa Traiani & Hadriani tempora ſenſu, ac antea filiis principum dato, loqui? Certe nomen iſthoc non amplius filium generatim & ſimpliciter indicauit, ſed deſignatum Auguſtæ maieſtatis heredem, inque partem reipublicæ regendæ aſſumtum, certis iuribus atque inſignibus donatum, ac ſecundo dignitatis gradu ab Auguſto diſtinctum. Siue, ut rem clarius dicam, appellatio Cæſaris præter familiæ communionem nihil ad Traianum uſque dedit, omnibusque filiis Auguſti competiit; poſt Traianum ſucceſſorem imperii deſtinatum, & proximo gradu ab Auguſto conſtitutum, ſignificare cœpit, neque filiis Auguſti iure natiuitatis, aut ſingulis data, ſed ei ſolum, quem pater Senatu & milite conſentiente hac dignitate exornauit, reliquis proprio & priuato gentis ſuæ nomine appellatis. Quæ ſi uera ſint, ut ſuo loco demonſtrabimus, Victoris uerba cum ueritate omnino conſtant, de titulo

* In Comment. ad Claudianum p. 596.
** De Vſu & præſt. num. Diſſ. VIII. p. 661. ſqq.
*** In Comment. ad Spartiani Ael. Verum.

tulo Cæſaris noua ratione tributo intelligenda. Neque originem etiam diuiſi nominis & dignitatis Auguſti & Cæſaris nominatim in adoptione Hadriani ponit, ſed generaliori locutione, *abbinc*, i. e. circa hæc tempora diſcrimen inter utrumque factum tradit. Capitolinum & Spartianum, dum Aelio Vero, ab Hadriano adoptato, nomen Cæſaris primum obueniſſe * dicunt, ingenioſe de inſignibus dignitatis Cæſareæ tum primum adhibitis, interpretatur Io. Henr. Boeclerus**; ac ſane confirmatur coniectura ſummi uiri epiſtola illa Commodi ad Albinum***, qua imperator nomen Cæſaris ei deferens, tanquam inſigne imperialis maieſtatis tribuit facultatem coccinei palli & purpuræ, ſed ſine auro, *quia ita proauus ſuus Verus ab Hadriano, accepit.* Cui enim fini Commodus allegaſſet exemplum eius, niſi ad originem huius dignitatis, certis cum cerimoniis & inſignibus nouiter inuentis collatæ, alludere, & docere Albinum uoluiſſet, quod auctor eorum Hadrianus Aelio ſuo dediſſet, id & ſe illi omne reddere. Quæ cum Cæſareæ dignitati externam ſuam formam dediſſent, effecerunt, ut Spartianus Verum primum Cæſarem in forma, ut loqui ſolent, factum traderet.

CA-

* In uita Luc. Veri c. 1. Spartian. in Ael. Ver. c. 1.
** In commentar. ad Herodian. L. II. c. 15. n. 3.
*** Apud Capitol. in Albin. c. 2.

CAPVT II.
DE POTESTATE ET RATIONE CONSTITVENDI CAESARIS.

I. Cæſarem faciendi poteſtas penes Imperatorem. Num ſenatui & militibus ullæ in eo partes fuerint?

SED ut clare atque diſtinctè cognoſcamus dignitatis huius rationem, tum de iis agemus, penes quos creatio Cæſaris ſtetit, tum etiam, qualis eſſe debuerit ille, cui honor iſte conferebatur. Inſignia deinde & prærogatiuas nominis Cæſarei & poteſtatem explicabimus. Cæſarem faciebat uoluntas & decretum Augu-ſti conſenſus Senatus, approbatio exercitus. Principi igitur primæ partes adſcribendæ. Eligebat is quicunque bonus ei, aut fortis, reique publicæ utilis uidebatur, aut ſanguine coniunctus erat. Spartianus * Hadrianum tradit de ſucceſſore ſolicitum, primum de Seruiano, ſororis uiro, Conſulari cogitaſſe, dein, de Plætorio Nepote, de Terentio quoque Gentiano, tandem uero reiectis prioribus, adoptaſſe Ceionium Commodum Verum, eumque Aelium Verum Cæſarem appellaſſe. Mortuo Aelio Vero, Antoninum, quam ſoceri ſenis ueſtigia leuantem forte conſpexerat ** motus pietate uiri, Cæſarem nuncupauit. Eius exemplum ſecuti ſunt ſequentes principes, quos recenſere omnes

* In uit. Hadrian. c. 23.
** Capitolin. in Ant. Pio. c. 4.

omnes, inutile eſſet. Neque uero in Cæſare & ſucceſſore conſtituendo, quod dolendum, principes optimi cuiusque, aut fortiſſimi rationem habuere, ſed pueros ſæpe aſſumſerunt, quibus, uti Nicomachus, Senator, apud Vopiſcum * dicit, *ad ſubſcribendum magiſtri literarii manus tenebant, quos ad conſulatus dandos dulcia & circuli, & quæcunque uoluptas puerilis inuitabat.* Idem ſapientiſſimus uir Imperatorem Tacitum rogauit, *ne paruulos ſuos, ſi eum citius fata præuenerint, faciat Romani heredes imperii.* Liberrimam porro principum in declarandis ſucceſſoribus & conſortibus imperii poteſtatem ea quoque inſigniter docent, quæ Valentinianus militibus, ægre Valentem fratrem ab eo ad ſocietatem auguſtalis dignitatis uocatum ferentibus, reſpondit, apud Theodoretum ** ὑμέτερον ἦν ὦ στρατιῶται βασιλέως οὐκ ὄντος ἐμοὶ δοῦναι τῆς βασιλείας τὰς ἡνίας, ἐπειδὴ δὲ ταύτην ἐδεξάμην ἐγὼ, ἐμὸν λοιπὸν οὐχ ὑμέτερον περὶ τῶν κοινῶν διασκοπεῖσθαι. *Veſtrum*, ait, *commilitones erat, cum non fuiſſet imperator, mihi habenas imperii dare; quod poſtquam accepi, meum eſt, non ueſtrum publica curare.* Cum his, quæ de Cæſare, arbitrio Imperatoris Auguſti facto, diſputo, non pugnant, quæ paſſim de auctoritate Senatus, in conferendo, aut confirmando illuſtri hoc nomine leguntur. Nimirum principes, quo humanio-

* in Tacito c. 6.

** Hiſt. Eccleſ. L. IIII, cap. 5. eadem propemodum habet Philoſtorgius Hiſt. Eccl. L. VIII, c. 8.

niores erant, eo magis ſtudebant ampliſſimo ordini adeo ut omnem ſuam poteſtatem, non niſi ex mandato eius habere dicerent. Quæ Tiberius honorifice de Senatu, quamuis ſimulandi ſtudio, dixit, quæ Traianus, Hadrianus, Antonini, Valerianus, Tacitus aliique ei detulerunt, notiora ſunt, quam ut ea referre opus habeam. Quid? rempublicam eſſe, ubi Senatus, crediderunt. Declarant hæc Othonis uerba apud Tacitum, * legitimum ſe Imperatorem dicentis, quod Senatus a ſuis partibus ſtaret *Nationes*, inquit, *aliquos occupauit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet. Senatus nobiſcum eſt. Sic fit, ut hinc reſpublica, illinc hoſtes conſtiterint* Maximinus etiam Thrax, ex quo Senatus ab eo ad Gordianos tranſiiſſet, pro hoſte & tyranno, non pro imperatore, amplius habitus eſt. ** Hi igitur principes tam ciuiles, non raro Senatum, ut quos ipſi Cæſares appellauerant, iis nomen iſthoc confirmaret, rogauerunt. Galba, cum Piſonem in ſpem ſucceſſionis adoptaret, conſenſum petiit patrum, & *patrum fauor*, teſte Tacito, *** *aderat, multi uoluntate effuſius, qui noluerant, medie.* Nerua pariter, cum Traianum Cæſarem declararet, præſente & conſentiente Senatu fecit; et Lucius Verus Imperator, a Senatu, ut filii Marci Cæſares appellarentur, popo-

* Hiſtor. L. I. c. 84.
** Capitolin. in Maximinis, c. 15.
*** Hiſt. L. I. c. 19.

popoſcit. * Seuerus, qui multa pro potentia egit, cum in Albinum, Britanniæ præſidem, idem nomen conferret, ad Senatum ſuper eo retulit. * * Non raro etiam Senatus, ut propitios ſibi redderet principes, utro eorum filiis dedit. Tale quid in Pertinacis filio factum eſſe, refert Capitolinus, * * * in Alexandro Seuero, Lampridius. * * * * Gordianum III. flagitante populo Cæſarem Senatus conſulto dictum, idem Capitolinus, * * * * * Voluſianum Galli, & Gallienum Valeriani, Augg. filios, Aurel. Victor ſcribit. † Talia itaque SCta non dabant, ſi dicamus qualis res eſt, Cæſaream dignitatem, ſed datam a principe ſaltem confirmabant; neque etiam, ſi quando principe non rogante, ſenatores declararent Cæſarem, quemquam elegerunt, niſi is filius eius, aut cognatus, aut in primis carus eſſet; imo cogi ab imperatoribus poterant, ut, quem ipſi uellent, Cæſarem confirmarent, quod a Seuero factum. † † Quæ de Senatu, eadem & de milite dicenda ſunt. Plerumque is, quem Imperator Cæſarem appellauit, in Caſtra prætorianorum, aut ſi extra urbem, aut in prouinciis eſſet,

C 2 in

* Capitolin. in Ant. Philoſ. c. 12.
* * Herodianus L. II. cap. 15. n. 9.
* * * In uita Pertinacis, c. 6.
* * * * In Heliogab. c. 5. & in Alex. Seu. c. 1.
* * * * * In Max. & Balbino. c. 3.
† De Cæſaribus, c. 30. 32.
† † Spartian. in Seuero c. 14.

in conſpectum exercitus deducebatur. Imperator, itemque nouus Cæſar, uerba ad milites faciebant: hic etiam cum ſæpe priuato habitu adductus eſſet, præſente exercitu, purpura, & principalibus reliquis inſignibus cingebatur *. Sequebatur aut læta acclamatio militum, aut indignatio, quemadmodum e plurimis auctorum locis conſtat. Neque deſunt exempla Cæſarum, proprio militum motu ad hoc faſtigium euectorum, quamquam hi omnes fere imperatorum filii fuerunt. De Domitiano ante a milite Cæſare ſalutato, quam Veſpaſianus, aut Titus frater, urbem ingreſſi eſſent, teſtatur Tacitus; ** de Macrino & Diadumeno, a legionibus Auguſto & Cæſare nominatis, Aurel. Victor; *** plura adhuc exempla occurrent ei, qui ſcriptores hiſtoriæ Auguſtæ uelit euoluere. Unum addam, nihil profuiſſe militarem amorem, ſi non accederet adprobatio Imperatoris. Quam grauiter Seuerus militum audaciam tulerit, Antonium Cæſarem, filium, inſcio ſe Auguſtum appellantium, patet ex iis, quæ Spartianus **** habet; ut patri, ſiue ex aliorum ſententia, ipſis prætorio præfectis, ſupplicio dignus uideretur, & Gratianus quoſdam ex militibus, qui

* Ammian. Marcellin. L. XV. c. 10.
** Hiſtor. L. III. in fine.
*** De Cæſaribus c. 22.
**** In uita Caracalli c. 12.

qui fratrem Valentinianum absque ſuo conſenſu creauerant, ſupplicio affecit. * Idem ut de Cæſare, inuito Imperatori obtruſo, ſtatuam, nihil prohibet, facileque credent ii, qui res inter Licinium & Conſtantinum M. geſtas bene norunt. Potius, & inuitis militibus, Cæſarem interdum factum, exemplo Seueri & Maximini a Galerio Aug. prætereito Conſtantino, quem legiones exoptabant, ** electorum, patet.

Aeque libera fuit Imperatorum poteſtas in uno aut pluribus ſimul Cæſaribus eligendis. Non facile tamen iure ſuo niſi amore erga filios ducti, uſi ſunt. Quibus, ut ſucceſſionem, ſi uni eorum humani quid accideret, firmam & certam redderent, *** nonnunquam duos, aut tres filios, Cæſares uel ipſi appellarunt, uel a Senatu & milite, appellari paſſi ſunt. Primus qui duos filios Cæſares crearet, Septimius Seuerus fuit. **** Hunc poſtea imitatus eſt Valerianus, filios, Gallienum Auguſtum, & Valerianum, Cæſarem conſtituens. † Qui poſt Valerianum tenuerunt imperatores, pluribus Cæſaribus aſſumtis, imperium

II. Interdum duo aut tres Cæſares aſſumti, unus eorum ordine potior fuit.

* Philoſtorgius H. Eccl. VIII. c. 16. Zonaras Annal. L. XIII. c. 17.
** Lactant. de Mort. perſec. c. 19. & 25.
*** Spartian. in Seuero. c. 10.
**** Spartian. l. c. c. 16.
† Trebell. Pollio in Valerian. iun.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

perium ceu hereditatem inter liberos diuiſerunt. Atque huius moris originem facto Diocletiani adſcribo, qui, non contentus Maximianum Herculeum honoris & laborum collegam aſſumſiſſe, creatis Cæſaribus Conſtantio & Galerio, imperium in quatuor partes * diſſecuit. Galerius, qui Diocletiano ſucceſſit, ſtatim duos ſibi Cæſares, Seuerum & Maximinum, & occiſo priore, Licinium adiunxit. Conſtantinus M. tres filios & Delmatium, nepotem ex fratre, Cæſares appellauit, ſuasque cuiuis prouincias regendas adſignauit. Quæ reipublicæ adminiſtrandæ ratio, licet grauis populis, & nociua ſaluti publicæ quibusdam, ob tributorum multitudinem, tot principibus ſuſtentandis impoſitam, uideatur; ** excuſari tamen poteſt; quippe imperium Romanum nunquam tot undique hoſtibus infeſtatum fuit, quot illo tempore eos expertum eſt, nullis fluminibus, nec uallis, nec ſaltibus aduerſus barbarorum rapacitatem ſatis ualidis; qui ut abigerentur unius hominis quantauis ſolertia aut fortitudo non ſuffecit. Duobus igitur aut tribus Cæſaribus nominatis, is, qui poſterior, licet eodem die, renuntiatus eſt, ordine & dignitate ceſſit alteri; neque, ut nomen in edictis, numis, codicillis, anteponeret, licuit. Idem etiam, quando Auguſtum nomen po-

* Victor de Cæſarib. c. 39.

** Lactantius de mortibus Perſec. c. 7.

ſtea adſecuti eſſent, obtinuit. Itaque Euſebius, ſigillatim Licinium Auguſtum * Βασιλέως μεγάλου Κωνσταντίνου δευτερείων τιμῆς ἠξιωμένον, *ſecundi poſt Conſtantinum M. loci dignitate honoratum*, & paulo ante * * Diocletianum πρωτεύοντα (*primarium Auguſtum*, & Maximianum (δευτερείοις τεταγμένον), *ſecundo loco conſtitutum* uocat. Conſtantium uero Chlorum, & cum eſſet Cæſar, & Auguſtus, Galerio, collegæ, ordine ſemper anteiuiſſe tradit; * * * quamquam eandem prope rem de L. Vero Imperatore, collegæ ſuo, ut legatus proconſuli, uel præſes imperatori obſequenti, narret Capitolinus. * * * *

Fortaſſis ſuperfluum uidebitur nonnullis quærere, num in appellando Cæſare imperatores annorum aliquam rationem habuerint, præſertim quando legent, plus una uice pueros impuberes, aut infantes in cunis propemodum uagientes, axiomate hoc exornatos fuiſſe. Sed hi fere erunt, qui neſciunt principes Romanos, & quidem quo melior quisque uideri uolebat, ſecundum leges egiſſe. Annales autem leges in præcipuis erant, quibus Romana ciuitas regebatur, quibusque impuberes & minores omnes, a ma-

III. Num Imperatores annorum rationem habuerint in conferenda dignitate & Nomine Cæſaris?

* Hiſt. Eccleſ. L. X. c. 7.

* * Lib. VIII. c. 13.

* * * Lib. I. de uita Conſtant. M. c. 18.

* * * * In Vero, c. 4.

magiſtratibus ſaluberrimo inſtituto prohibebantur. Soluti ſunt nonnulli, etiam libera republica hiſce legibus, P. Scipio Æmilianus, Pompeius, Octauianus poſt mortem patris Iulii, (nam iure ſibi competente ob alienam potentiam uti non potuit) ſed eiusmodi exempla confirmant potius communem regulam, neque ſub Cæſaribus, neque aliquando poſt, hi mores in deſuetudinem uel in ipſius familiæ principis candidatis abierunt. Auguſto principe, Dio Caſſius * refert decretum fuiſſe a Senatu, ut Marcelus gener eius intra prætorios in Senatu eſſet, decennioque maturius, quam leges poſtulant, conſulatum peteret; Tiberio autem permiſſum, ut ſingulos Magiſtratus quinquennio ante, quam conſtitutum erat, adire poſſet. Idem Auguſtus Druſo ** altero priuigno conceſſit, (ſed præſciente, ſeu, ut loqui ſolemus, diſpenſante Senatu,) ut quinquennio maturius, quam conſuetudo reipublicæ ferret, magiſtratus poſſet petere, & cum conſulatum nondum geſta pretura ambiret, nil, niſi petendi facultatem dedit. *** Tiberium principem Tacitus **** ſcribit, Neronem Germanici filium, iam ingreſſum iuuentam, commen-

* Lib. LIII. p. 350.
** Dio L. LIIII. p. 358.
*** Dio L. LVI. p. 401.
**** Annal. L. III. c. 29.

daſſe patribus, utque munere capeſſendi uigintiuiratus ſolueretur, & quinquennio maturius, quam per leges quæſituram peteret, poſtulaſſe. Hic etiam poſtea, cum tribunitiam poteſtatem Druſo, filio ſuo, dare conſtituiſſet, id conſulto prius Senatu fecit, docuitque cauſas, ob quas iure accipere eam uideretur; eſſe illi dicens coniugem & tres liberos eamque ætatem, qua ipſe quondam a diuo Auguſto ad hoc munus uocatus fuiſſet. Antoninus Philoſophus, ab Antonino Pio iam adoptatus, non niſi gratia ætatis facta, Hadriano ferente, quæſtor deſignatus * eſt; neque Commodus Cæſar, Conſul a. u. DCCCCXXVIIII. factus, neque triumphare permiſſus, niſi uenia legis annariæ impetrata, & patrum decreto. * * Inprimis uero tribunitiam poteſtatem cum Cæſaribus nunquam ante XXVIII. annum communicatam fuiſſe, Henricus Dodvvellus in Prælectionibus ſuis Camdenianis arbitratus eſt; quamquam plus hac in re fidei Excell. Schvvarzio, uiro in his literis ſummo, tribuo, certum ætatis tempus ſciri atque definiri non poſſe monenti. * * * Quæ autem de legibus annalibus, a principibus, non in totum neglectis, diſputo, non tollunt ea, quæ de principe legibus ſoluto tradiderunt Dio Caſſius † &

D VI-

* Capitolinus in Ant. Philoſ. cap. 5.

* * Lampridius in Commodo, c. 2.

* * * In diſſ. de tribunitia poteſtate Cæſarum. n. 18.

† Lib. LIII. p. 344.

Vlpianus. † Iam dudum enim demonſtrauit clariſſimus ICtus, Gerardus Noodt, auctores illos nequaquam de omnibus legibus in uniuerſum, ſed illum, de lege Cincia, hunc, de lege Papia & Poppæa dicere. † † Idem doctiſſimus uir, Romanos principes non ſolum publicis quam pluribus, ſed & ciuilibus & priuatis legibus circumſcriptos fuiſſe, docuit. Addo Tiberium olim, ut contraria ſententiæ ſuæ decreta a iudicibus fierent, paſſum eſſe; † † † & Tacitum imperatorem lætatum Senatus libertate qua ſibi denegauit Conſulatum, quem fratri petierat. † † † † Sed ille pro naturali calliditate, & metu Germanici, * tum temporis adhuc uiuentis, hic, pro modeſtia prorſus ſingulari egit. Nihil itaque abſurdi habet ſententia de imperatoribus, præcipue priorum II. Seculorum, in eligendo Cæſare, qui ordinarie ſummis quibusque honoribus & muneribus præficiebatur, ætatis legitimæ rationem habentibus; qui enim proxima abhinc ætate imperauerunt, eos certum eſt, de imperio, tanquam de patrimonio inter liberos & heredes ſuos, quacunque illi eſſent ætate, diſpoſuiſſe. De Hadriano perſpicue

Ca-

† L. 13. Dig. de Legg.
† † In diſſ. de iure ſummi imperii annexa Oper. eius, & Obſeruat. Iur. L. I. c. 3.
† † † Dio L. LVI. p. 415.
† † † † Vopiſcus in Tac. c. 9.
* Dio l. c.

Capitolinus, * *hic, ait, cum poſt obitum Lucii Cæſaris ſucceſſorem imperii quæreret, nec idoneus utpote decem & octo annos agens Marcus haberetur,* (nempe ob leges, quantum enim ad mentis uim, & morum grauitatem, quid maius unquam aut ſanctius illo fuit?) *amitæ Marci filium, Antoninum Pium Hadrianus ea lege in adoptionem legit, ut ſibi Marcum Pius adoptaret.*

IIII. Nomen Cæſaris a decreto Imperat. unice non a conditione naſcendi dependit. De filiis Imp. qui Cæſares dicti non eſſent.

Nomen Cæſaris, ut ſupra diximus, quo poſt Neruæ tempora ſenſu tribui certis perſonis cœpit, differt in eo a priori, quod cum olim naſcendi fortuna liberos Imperatorum Cæſares faceret, nunc unice a decreto & collatione Auguſti ſpeciali dependeret, nec effectus adoptionis, aut fructus natalium haberetur. Hoc uero certius conſtabit, quando demonſtrauero, alios fuiſſe Cæſares, qui nec natura, nec adoptionis iure filii Auguſtorum eſſent; alios uero, filios & naturales & adoptiuos, qui Cæſares non appellarentur. Albinum Commodus Cæſarem dixit. Num ideo, quod filius eſſet Albinus? Repugnat hiſtoria. Eundem Seuerus quoque Cæſarem ſuum fecit, ** ſed ut deceptum Imperii ſpecie, faciſius opprimeret. Gordianus XIII. annorum puer aſſumtus eſt a Maximo, & Balbino Auguſtis, populo & milite uolente, quamuis neutrius filius eſſet. Diocletianus & Maximianus Herculeus

* In Antonino Philoſ. c. 5.
** Herodian. L. II. c. 15.

Digitized by Google

CAPVT II.
DE POTESTATE ET RATIONE CONSTITVENDI CAESARIS.

I. Cæſarem faciendi poteſtas penes Imperatorem. Num ſenatui & militibus ullæ in eo partes fuerint?

SED ut clare atque diſtincte cognoſcamus dignitatis huius rationem, tum de iis agemus, penes quos creatio Cæſaris ſtetit, tum etiam, qualis eſſe debuerit ille, cui honor iſte conferebatur. Inſignia deinde & prærogatiuas nominis Cæſarei & poteſtatem explicabimus. Cæſarem faciebat uoluntas & decretum Auguſti conſenſus Senatus, approbatio exercitus. Principi igitur primæ partes adſcribendæ. Eligebat is quicunque bonus ei, aut fortis, reique publicæ utilis uidebatur, aut ſanguine coniunctus erat. Spartianus * Hadrianum tradit de ſucceſſore ſolicitum, primum de Seruiano, ſororis uiro, Conſulari cogitaſſe, dein, de Plætorio Nepote, de Terentio quoque Gentiano, tandem uero reiectis prioribus, adoptaſſe Ceionium Commodum Verum, eumque Aelium Verum Cæſarem appellaſſe. Mortuo Aelio Vero, Antoninum, quam ſoceri ſenis ueſtigia leuantem forte conſpexerat ** motus pietate uiri, Cæſarem nuncupauit. Eius exemplum ſecuti ſunt ſequentes principes, quos recenſere omnes

* In uit. Hadrian. c. 23.
** Capitolin. in Ant. Pio. c. 4.

omnes, inutile eſſet. Neque uero in Cæſare & ſucceſſore conſtituendo, quod dolendum, principes optimi cuiusque, aut fortiſſimi rationem habuere, ſed pueros ſæpe aſſumſerunt, quibus, uti Nicomachus, Senator, apud Vopiſcum * dicit, *ad ſubſcribendum magiſtri literarii manus tenebant, quos ad conſulatus dandos dulcia & circuli, & quæcunque uoluptas puerilis inuitabat.* Idem ſapientiſſimus uir Imperatorem Tacitum rogauit, *ne paruulos ſuos, ſi eum citius fata præuenerint, faciat Romani heredes imperii.* Liberrimam porro principum in declarandis ſucceſſoribus & conſortibus imperii poteſtatem ea quoque inſigniter docent, quæ Valentinianus militibus, ægre Valentem fratrem ab eo ad ſocietatem auguſtalis dignitatis uocatum ferentibus, reſpondit, apud Theodoretum ** ὑμέτερον ἦν ὦ στρατιῶται βασιλέως οὐκ ὄντος ἐμοὶ δοῦναι τῆς βασιλείας τὰς ἡνίας, ἐπεὶ δὲ ταύτην ἐδεξάμην ἐγὼ, ἐμὸν λοιπὸν οὐχ ὑμέτερον περὶ τῶν κοινῶν διασκοπεῖσθαι. *Veſtrum,* ait, *commilitones, erat, cum non fuiſſet imperator, mihi habenas imperii dare; quod poſtquam accepi, meum eſt, non ueſtrum publica curare.* Cum his, quæ de Cæſare, arbitrio Imperatoris Auguſti facto, diſputo, non pugnant, quæ paſſim de auctoritate Senatus, in conferendo, aut confirmando illuſtri hoc nomine leguntur. Nimirum principes, quo humanio-

C

* in Tacito c. 6.

** Hiſt. Eccleſ. L. IIII. cap. 5. eadem propemodum habet Philoſtorgius Hiſt. Eccl. L. VIII. c. 8.

niores erant, eo magis ſtudebant ampliſſimo ordini' adeo ut omnem ſuam poteſtatem, non niſi ex mandato eius habere dicerent. Quæ Tiberius honorifice de Senatu, quamuis ſimulandi ſtudio, dixit, quæ Traianus, Hadrianus, Antonini, Valerianus, Tacitus aliique ei detulerunt, notiora ſunt, quam ut ea referre opus habeam. Quid? rempublicam eſſe, ubi Senatus, crediderunt. Declarant hæc Othonis uerba apud Tacitum, * legitimum ſe Imperatorem dicentis, quod Senatus a ſuis partibus ſtaret *Nationes*, inquit; *aliquos occupauit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet. Senatus nobiſcum eſt. Sic fit, ut hinc respublica, illinc hoſtes conſtiterint* Maximinus etiam Thrax, ex quo Senatus ab eo ad Gordianos tranſiiſſet, pro hoſte & tyranno, non pro imperatore, amplius habitus eſt. ** Hi igitur principes tam ciuiles, non raro Senatum, ut quos ipſi Cæſares appellauerant, iis nomen iſthoc confirmaret, rogauerunt. Galba, cum Piſonem in ſpem ſucceſſionis adoptaret, conſenſum petiit patrum, & *patrum fauor*, teſte Tacito, *** *aderat, multi uoluntate effuſius, qui noluerant, medie.* Nerua pariter, cum Traianum Cæſarem declararet, præſente & conſentiente Senatu fecit; et Lucius Verus Imperator, a Senatu, ut filii Marci Cæſares appellarentur, popo-

* Hiſtor. L. I. c. 84.

** Capitolin. in Maximinis, c. 15.

*** Hiſt. r. L. c. 19.

popoſcit. * Seuerus, qui multa pro potentia egit, cum in Albinum, Britanniæ præſidem, idem nomen conferret, ad Senatum ſuper eo retulit. * * Non raro etiam Senatus, ut propitios ſibi redderet principes, utro eorum filiis dedit. Tale quid in Pertinacis filio factum eſſe, refert Capitolinus, * * * in Alexandro Seuero, Lampridius. * * * * Gordianum III. flagitante populo Cæſarem Senatus conſulto dictum, idem Capitolinus, * * * * * Voluſianum Galli, & Gallienum Valeriani, Augg. filios, Aurel. Victor ſcribit. † Talia itaque SCta non dabant, ſi dicamus qualis res eſt, Cæſaream dignitatem, ſed datam a principe ſaltem confirmabant; neque etiam, ſi quando principe non rogante, ſenatores declararent Cæſarem, quemquam elegerunt, niſi is filius eius, aut cognatus, aut in primis carus eſſet; imo cogi ab imperatoribus poterant, ut, quem ipſi uellent, Cæſarem confirmarent, quod a Seuero factum. † † Quæ de Senatu, eadem & de milite dicenda ſunt. Plerumque is, quem Imperator Cæſarem appellauit, in Caſtra prætorianorum, aut ſi extra urbem, aut in prouinciis eſſet,

* Capitolin. in Ant. Philoſ. c. 12.
* * Herodianus L. II. cap. 15. n. 9.
* * * In uita Pertinacis, c. 6.
* * * * In Heliogab. c. 5. & in Alex. Seu. c. 1.
* * * * * In Max. & Balbino. c. 3.
† De Cæſaribus, c. 30. 32.
† † Spartian. in Seuero c. 14.

Digitized by Google

in conſpectum exercitus deducebatur. Imperator, itemque nouus Cæſar, uerba ad milites faciebant: hic etiam cum ſæpe priuato habitu adductus eſſet, præſente exercitu, purpura, & principalibus reliquis inſignibus cingebatur * Sequebatur aut læta acclamatio militum, aut indignatio, quemadmodum e plurimis auctorum locis conſtat. Neque deſunt exempla Cæſarum, proprio militum motu ad hoc faſtigium euectorum, quamquam hi omnes fere imperatorum filii fuerunt. De Domitiano ante a milite Cæſare ſalutato, quam Veſpaſianus, aut Titus frater, urbem ingreſſi eſſent, teſtatur Tacitus, ** de Macrino & Diadumeno, a legionibus Auguſto & Cæſare nominatis, Aurel. Victor; *** plura adhuc exempla occurrent ei, qui ſcriptores hiſtoriæ Auguſtæ uelit euoluere. Unum addam, nihil profuiſſe militarem amorem, ſi non accederet adprobatio Imperatoris. Quam grauiter Seuerus militum audaciam tulerit, Antonium Cæſarem, filium, inſcio ſe Auguſtum appellantium, patet ex iis, quæ Spartianus **** habet; ut patri, ſiue ex aliorum ſententia, ipſis prætorio præfectis, ſupplicio dignus uideretur; & Gratianus quoſdam ex militibus, qui

* Ammian. Marcellin. L. XV. c. 10.
** Hiſtor. L. III. in fine.
*** De Cæſaribus c. 22.
**** In uita Caracalli c. 1?.

qui fratrem Valentinianum absque ſuo conſenſu creauerant, ſupplicio affecit. * Idem ut de Cæſare, inuito Imperatori obtruſo, ſtatuam, nihil prohibet, facileque credent ii, qui res inter Licinium & Conſtantinum M. geſtas bene norunt. Potius, & inuitis militibus, Cæſarem interdum factum, exemplo Seueri & Maximini a Galerio Aug. præterito Conſtantino, quem legiones exoptabant, ** electorum, patet.

II. Interdum duo aut tres Cæſares aſſumti. Unus eorum ordine potior fuit.

Aeque libera fuit Imperatorum poteſtas in uno aut pluribus ſimul Cæſaribus eligendis. Non facile tamen iure ſuo niſi amore erga filios ducti, uſi ſunt. Quibus, ut ſucceſſionem, ſi uni eorum humani quid accideret, firmam & certam redderent, *** nonnunquam duos, aut tres filios, Cæſares uel ipſi appellarunt, uel a Senatu & milite, appellari paſſi ſunt. Primus qui duos filios Cæſares crearet, Septimius Seuerus fuit. **** Hunc poſtea imitatus eſt Valerianus, filios, Gallienum Auguſtum, & Valerianum, Cæſarem conſtituens. † Qui poſt Valerianum tenuerunt imperatores, pluribus Cæſaribus aſſumtis, im-

 perium

* Philoſtorgius H. Eccl. VIII. c. 16. Zonaras Annal. L. XIII. c. 17.
** Lactant. de Mort. perſec. c. 19. & 25.
*** Spartian. in Seuero. c. 10.
**** Spartian. l. c. c. 16.
† Trebell. Pollio in Valerian. iun.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

perium ceu hereditatem inter liberos diuiſerunt. Atque huius moris originem facto Diocletiani adſcribo, qui, non contentus Maximianum Herculeum honoris & laborum collegam aſſumſiſſe, creatis Cæſaribus Conſtantio & Galerio, imperium in quatuor partes * diſſecuit. Galerius, qui Diocletiano ſucceſſit, ſtatim duos ſibi Cæſares, Seuerum & Maximinum, & occiſo priore, Licinium adiunxit. Conſtantinus M. tres filios & Delmatium, nepotem ex fratre, Cæſares appellauit, ſuasque cuiuis prouincias regendas adſignauit. Quæ reipublicæ adminiſtrandæ ratio, licet grauis populis, & nociua ſaluti publicæ quibusdam, ob tributorum multitudinem, tot principibus ſuſtentandis, impoſitam, uideatur, ** excuſari tamen poteſt; quippe imperium Romanum nunquam tot undique hoſtibus infeſtatum fuit, quot illo tempore eos expertum eſt, nullis fluminibus, nec uallis, nec ſaltibus aduerſus barbarorum rapacitatem ſatis ualidis; qui ut abigerentur unius hominis quantauis ſolertia aut fortitudo non ſuffecit. Duobus igitur aut tribus Cæſaribus nominatis, is, qui poſterior, licet eodem die, renuntiatus eſt, ordine & dignitate ceſſit alteri; neque, ut nomen in edictis, numis, codicillis, anteponeret, licuit. Idem etiam, quando Auguſtum nomen po-

* Victor de Cæſarib. c. 39.
** Lactantius de mortibus Perſec. c. 7.

ſtea adſecuti eſſent, obtinuit. Itaque Euſebius, ſigillatim Licinium Auguſtum * βασιλέα μεγάλου Κωνσταντίνου δευτερείων τιμῆς ἠξιωμένον, *ſecundi poſt Conſtantinum M. loci dignitate honoratum*, & paulo ante ** Diocletianum πρωτεύοντα, *primarium Auguſtum*, & Maximianum δευτερεύοντα τεταγμένον, *ſecundo loco conſtitutum* uocat. Conſtantium uero Chlorum, & cum eſſet Cæſar, & Auguſtus, Galerio, collegæ, ordine ſemper anteiuiſſe tradit; *** quamquam eandem prope rem de L. Vero Imperatore, collegæ ſuo, ut legatus proconſuli, uel præſes imperatori obſequenti, narret Capitolinus. ****

Fortaſſis ſuperfluum uidebitur nonnullis quærere, num in appellando Cæſare imperatores annorum aliquam rationem habuerint, præſertim quando legent, plus una uice pueros impuberes, aut infantes in cunis propemodum uagientes, axiomate hoc exornatos fuiſſe. Sed hi fere erunt, qui neſciunt principes Romanos, & quidem quo melior quiſque uideri uolebat, ſecundum leges egiſſe. Annales autem leges in præcipuis erant, quibus Romana ciuitas regebatur, quibusque impuberes & minorennes, a ma- III. Num Imperatores annorum rationem habuerint in conferenda dignitate & Nomine Cæſaris?

* Hiſt. Eccleſ. L. X. c. 7.
** Lib. VIII. c. 13.
*** Lib. I. de uita Conſtant. M. c. 18.
**** In Vero, c. 4.

magiſtratibus ſaluberrimo inſtituto prohibebantur. Soluti ſunt nonnulli, etiam libera republica hiſce legibus, P. Scipio Æmilianus, Pompeius, Octauianus poſt mortem patris Iulii, (nam iure ſibi competente ob alienam potentiam uti non potuit) ſed eiusmodi exempla confirmant potius communem regulam, neque ſub Cæſaribus, neque aliquando poſt, hi mores in deſuetudinem uel in ipſius familiæ principis candidatis abierunt. Auguſto principe, Dio Caſſius * refert decretum fuiſſe a Senatu, ut Marcelus gener eius intra prætorios in Senatu eſſet, decennioque maturius, quam leges poſtulant, conſulatum peteret; Tiberio autem permiſſum, ut ſingulos Magiſtratus quinquennio ante, quam conſtitutum erat, adire poſſet. Idem Auguſtus Druſo * * altero priuigno conceſſit, (ſed præſciente, ſeu, ut loqui ſolemus, diſpenſante Senatu,) ut quinquennio maturius, quam conſuetudo reipublicæ ferret, magiſtratus poſſet petere, & cum conſulatum nondum geſta prætura ambiret, nil, niſi petendi facultatem dedit. * * * Tiberium principem Tacitus * * * * ſcribit, Neronem Germanici filium, iam ingreſſum iuuentam, commendaſſe

* Lib. LIII. p. 350.
* * Dio L. LIIII. p. 358.
* * * Dio L. LVI. p. 401.
* * * * Annal. L. III. c. 29.

daſſe patribus, utque munere capeſſendi uigintiuiratus ſolueretur, & quinquennio maturius, quam per leges quæſituram peteret, poſtulaſſe. Hic etiam poſtea, cum tribunitiam poteſtatem Druſo, filio ſuo, dare conſtituiſſet, id conſulto prius Senatu fecit, docuitque cauſas, ob quas iure accipere eam uideretur; eſſe illi dicens coniugem & tres liberos eamque ætatem, qua ipſe quondam a diuo Auguſto ad hoc munus uocatus fuiſſet. Antoninus Philoſophus, ab Antonino Pio iam adoptatus, non niſi gratia ætatis facta, Hadriano ferente, quæſtor deſignatus * eſt; neque Commodus Cæſar, Conſul a. u. DCCCCXXVIIII. factus, neque triumphare permiſſus, niſi uenia legis annariæ impetrata, & patrum decreto. * * Inprimis uero tribunitiam poteſtatem cum Cæſaribus nunquam ante XXVIII. annum communicatam fuiſſe, Henricus Dodvvellus in Prælectionibus ſuis Camdenianis arbitratus eſt; quamquam plus hac in re fidei Excell. Schvvarzio, uiro in his literis ſummo, tribuo, certum ætatis tempus ſciri atque definiri non poſſe monenti. * * * Quæ autem de legibus annalibus, a principibus, non in totum neglectis, diſputo, non tollunt ea, quæ de principe legibus ſoluto tradiderunt Dio Caſſius † &

D VI-

* Capitolinus in Ant. Philoſ. cap. 5.
* * Lampridius in Commodo, c. 2.
* * * In diſſ. de tribunitia poteſtate Cæſarum. n. 18.
† Lib. LIII. p. 344.

Capitolinus, * *hic*, ait, *cum poſt obitum Lucii Cæſaris ſucceſſorem imperii quæreret, nec idoneus utpote decem & octo annos agens Marcus haberetur*, (nempe ob leges, quantum enim ad mentis uim, & morum grauitatem, quid maius unquam aut ſanctius illo fuit?) *amitæ Marci filium, Antoninum Pium Hadrianus ea lege in adoptionem legit, ut ſibi Marcum Pius adoptaret.*

Nomen Cæſaris, ut ſupra diximus, quo poſt Neruæ tempora ſenſu tribui certis perſonis cœpit, differt in eo a priori, quod cum olim naſcendi fortuna liberos Imperatorum Cæſares faceret, nunc unice a decreto & collatione Auguſti ſpeciali dependeret, nec effectus adoptionis, aut fructus natalium haberetur. Hoc uero certius conſtabit, quando demonſtrauero, alios fuiſſe Cæſares, qui nec natura, nec adoptionis iure filii Auguſtorum eſſent; alios uero, filios & naturales & adoptiuos, qui Cæſares non appellarentur. Albinum Commodus Cæſarem dixit. Num ideo, quod filius eſſet Albinus? Repugnat hiſtoria. Eundem Seuerus quoque Cæſarem ſuum fecit, ** ſed ut deceptum Imperii ſpecie, facilius opprimeret. Gordianus XIII. annorum puer aſſumtus eſt a Maximo, & Balbino Auguſtis, populo & milite uolente, quamuis neutrius filius eſſet. Diocletianus & Maximianus Herculeus

IIII. Nomen Cæſaris a decreto Imperat. unice non a conditione naſcendi dependit. De filiis Imp. qui Cæſares dicti non eſſent.

D 2 Con-

* In Antonino Philoſ. c. 5.
** Herodian. L. II. c. 15.

Conſtantium & Galerium, in affinitatem quidem, cum Cæſares ſuos eligerent, non in adoptionem uocarunt; & Galerius Seuerum & Maximinum, item Licinium, homines extraneos, ſibi adſociauit. Conſtantius denique ad hoc faſtigium Gallum, & Iulianum euexit, conſobrinos, nec filiorum loco adoptauit. Econtrario M. Antoninus, quamuis iubente Hadriano adoptatus eſſet in familiam imperantem a Pio, nomen tamen Cæſaris non obtinuit; neque id quidem ſtatim ac Hadrianus defunctus eſſet, ſed tertio demum anno poſt, gratia patris conſecutus eſt. * Eandem propemodum rem de Lucio Vero, altero Pii adoptiuo filio, & Collega poſtea M. Aurelii, Capitolinus docet. * * *Fuit L. Verus,* inquit, *priuatus in domo Imperatoris viginti & tribus annis. --- diu autem & priuatus fuit, & ea honorificentia caruit, qua Marcus ornabatur. Namque in Senatu ante quæſturam non ſedit,* (quippe id magiſtratibus ſolum, & ex ſingulari priuilegio, filiis imperio deſtinatis, conceſſum erat * * *) *neque in itinere cum patre* (nam eodem cum Auguſto uehiculo uti, nulli, niſi qui ad conſortium imperii eſſet eleuatus, permittebatur, * * * *) *ſed cum præfecto præ-*

to-

* Capitolinus in Anton. Phil. c. c. 5.
* * In Luc. Vero c. 3.
* * * cf. Dio Caſſ. L. LV. p. 377. L. LVI. p. 397. Sueton. in Auguſto c. 38.
* * * * cfl Ammian. Marcellin. L. XV. c. 21.

torii uectus eſt, nec aliud ei bonorificentiæ ad nomen adiunctum eſt, quam quod Auguſti filius eſt appellatus. Quem appellandi etiam morem nummus ſeruat Galerii, Antonini Pii & Fauſtinæ filii, alias parum noti, Triſtano primum teſte Illuſtr. Spanhemio * editus, uerum, e nummo Chriſtinæ reginæ ita ſupplendus: Μ. ΓΑΛΕΡΙΟϹ ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΥΙΟΣ. At ſi quid aliud priuatam L. Veri conditionem, donec a fratre ſponte ad imperium adſciſceretur, prodit, hoc ſane eſt, quod, cum plures nummi Antonino Pio ſuperſtite cuſi, M. Aurelii Cæſaris effigiem & cum patre ſimul, & ſine eo, impreſſam habeant, nullus L. Veri conſpiciatur; id quod, ſi Cæſaris nomine, ante mortem Pii, ornatus fuiſſet, neque pater, neque Senatus, neque prouinciæ omiſiſſent. Mortuo Antonino Pio, Senatus Marco ſoli detulit imperium, ut Verus intra priuatæ ſortis terminos moriturus uideretur, niſi æquiſſimus princeps ſponte ſibi fratrem maieſtatis conſortem deſignaſſet, Cæſaremque, & Auguſtum dixiſſet. Cum his amice conſpirant lapides, nullo eum, niſi L. Ælii Commodi nomine, (Veri enim, a fratre Marco accepit, cum in ſocietatem principatus cooptaretur: * *) inſignientes, quorum inſcriptiones nonnullas, ad primum eius cum T. Sextio Laterano conſula-

D 3

* Diſſ. VII. p. m. 658.
* * Capitol. in Anton. Phil. c. 7. & in Vero, c. 3. 4.

ſulatum pertinentes, collegit Petrus Relandus. * Planius uero hanc rem loquuntur monumenta, erecta ſecundo conſulatu Veri, & tertio Marci Antonini Caeſ. qui in annum poſt Chriſtum natum CLXI. incidit, morte Antonini Pii, die VII. Martii ſecuta, ** inſignem; ea enim Verum mox priuato Commodi, mox Imperatoris & Auguſti nomine appellant, prout nimirum quodlibet eorum, uiuente Pio, aut mortuo, & ante diem, quo a fratre Caeſar & Auguſtus renuntiatus eſt, aut poſt, exiſtere coepit. Idem eruditus ICtus e Grutero profert inſcriptionem, ***

M. AELIO. AVRELIO. VERO.
CAESARE III.
L. AELIO. AVRELIO. COMMODO. II.
COS.

& aliam, quae apud Vignolium in deſcriptione Columnae Antonini legitur, cuiusque partem adponam,

X. KAL. APRIL.
IMP. CAESARE. M. AVRELIO
ANTONINO. AVG. III.
ET. IMP. CAESARE. L. AVRELIO.
VERO. AVG. II. COS.

Seue-

* in Faſtis Conſularibus p. 19.
* * Pagi in diſſ. hypatica, P. II. c. II. n. 16.
* * * in faſtis alleg. p. 51.

Seuerus etiam ſuo exemplo teſtatus eſt, non amplius naſci, ſed fieri Cæſares; ſiquidem, cum duos haberet filios, Baſſianum & Getam, utrumque Cæſarem quidem, ſed ſingulari decreto, & diuerſo tempore fecit. * Carinum, Cari Imperatoris filium maiorem, ſigillatim Vopiſcus priorem * * fratre Numeriano, Cæſarem nuncupatum dicit. Optima uero noſtræ opinioni lux ab hiſtoria Conſtantini M. accedet, qui, etſi filius eſſet Auguſti, tamen nunquam, uiuente patre, Cæſaris nomine gauiſus eſt, * * * Seuero potius & Maximino Daza, ad hoc faſtigium electis. * * * * Maxentium Maximiani Aug filium pariter, uſque tum ipſe ſibi ſumeret, eo titulo caruiſſe ſcimus. Conſtantino uero cum quatuor eſſent filii, diuerſis eos temporibus, nempe circa ſingula decennalia Cæſares creauit. † Hinc & Nazarius etiam † † in oratione Panegyrica, Nobiliſſimorum Cæſarum, *eorumque fratrum* (priuatorum hucusque) in domo Conſtantini, uno eodemque tempore meminit. Ammianus Marcellinus, dum refert Gratianum puerum conſulatum cum Daglaipho geſſiſſe,

* Spartian in Seu. cap. 10. 16.
* * in Caro, cap. 10.
* * * Lactant. de mort. Perſ. c. 25.
* * * * Zoſimus L. II. c. 8. Aur. Victor de Cæſaribus c. 40.
† Euſebius in uita Conſtant. M. L. IV. cap 40. & Henr. Valeſius in notis ad h. locum. item, Oratio de laud. Conſtant. c. 3.
† † Cap. 36. conſ. notam Iac. de la Baune ad h. loc.

ſiſſe, anno ante, quam Auguſtus a patre renuntiaretur (nimirum anno Chriſti CCCLXVII. VIIII. Cal. Septembres) in eum adhuc priuatum translatum eſſe dicit. * Quæ cum ita ſint, Herodianus, ſcriptor alias optimus, declamatorem potius, quam hiſtoricum egit, cum Imperatorem Commodum ita ad milites ſub imperii auſpicium peroraſſe fingeret, * * ἔδωκε δὲ μετ' ἐκεῖνον ἐμὲ βασιλέα ἡ τύχη οὐκ ἐπείσακτον, ὥσπερ οἱ πρὸ ἐμοῦ, προσκτήτῳ σεμνυνόμενον ἀρχῇ. ἀλλὰ μόνος τε ὑμῖν ἐγὼ ἐν τοῖς βασιλείοις ἀπεκυήθην, καὶ μὴ πειραθέντα με ἰδιωτικῶν σπαργάνων, ἅμα τῷ τῆς γαστρὸς προελθεῖν ἡ βασίλειος ὑπεδέξατο πορφύρα. ὁμοῦ δέ με εἶδεν ἥλιος ἄνθρωπον καὶ βασιλέα, εἰκότως ἂν οὖν ταῦτα λογιζόμενοι στέργοιτε οὐ δοθέντα ὑμῖν, ἀλλὰ γεννηθέντα αὐτοκράτορα, *nunc me poſt illum* (Marcum Antoninum patrem) *uobis fortuna principem dedit, non quidem aſcititium, quales ante me fuerunt, neque uelut acquiſito imperio gloriantem. Quippe unus ego uobis natus educatusque in aula, priuatisque intactum cunabulis, ſtatim me, ut ex aluo prodieram, Imperatorem purpura ſuſcepit, ſimulque ſol hominem me uidit, & principem. Hæc cum animis ueſtris reputantes, iure principem colite, non datum uobis ſed natum.* Conſtat enim Commodum ante VI. ætatis annum Cæſarem dictum non fuiſſe † nec niſi peten-

* L. XXVI. c. 26.
* * Hiſtoriar. L. I. c. 5.
† Lampridius in Commodo, c. 11.

tente Lucio a Senatu, (nimirum, ut in deferendo eo honore patrem præueniret,) *ut filii Marci appellarentur* * *Cæſares.*

Filii igitur Imperatorum, qui Cæſares non eſſent declarati, iure priuatorum cenſebantur, ceterum magno ab omnibus honore & reuerentia habiti; namque *Claudio* iam, cui Tiberio & Caio uiuentibus, nulla ſpes ſucceſſionis fuerat, Suetonius ** tradit, *ſpectaculis aduenienti equites ſurrexiſſe, & lacernas depoſuiſſe.* Conſtantinus M. uero ſicut quamplurimas dignitates nouas in imperio inuenit, ita etiam omnibus utriusque ſexus *** perſonis familiæ ſuæ, ἀξίωμα quoddam dedit, quo e cenſu priuatorum exemtæ, fulgorem maieſtatis Auguſtalis aliquo modo participarent. Idque *Nobiliſſimatus* fuit, ſiue dignitas perſonalis, omnibus Auguſti liberis, iure natiuitatis, uel adoptionis competens, agnatis uero & cognatis, decreto principis collata, omnesque alias dignitates & titulos antecedens, ut ſciretur, quosnam iurium familiæ ſuæ, & honorum, & priuilegiorum, Imperator participes eſſe uoluerit. Qui hoc axiomate ornati erant, *Nobiliſſimi*, græce ἐπιφανέστατοι, ſiue etiam, formato e latino nomine, νοβιλίσσιμοι, ipſa uero

III. De titulo Nobiliſſimi, & origine eius.

E res,

* Capitolinus in Anton. Phil. c. 12.
** in Claudio c. 6.
*** conf. quæ excitauit loca Bulengerus de Imperat. Lib. II. c. 9.

res, ἀξία ἐπιφανεστάτου, aut ἀξία τοῦ Νωβιλισσίμου audiebat. Sunt qui credant, hunc titulum ius quoddam ſucceſſionis tribuiſſe; quos tamen errare facile deprehendet, qui nouit, Nobiliſſimatu inuento, minime ſublatam fuiſſe dignitatem Cæſaris, ſed aperte diſtinctam ab illo, tanquam multo adhuc eminentiorem. Certum enim eſt, filios natu maiores, Imperatorum Cæſares plerumque ſalutatos, reliquos Nobiliſſimos tantum dictos, ſicut etiam de Conſtantini, Galliarum tyranni, filiis, ex Olympiodoro Photius * refert. Id etiam moris fuit, ut qui Cæſares in ſpem imperii aſſumi uellent, primum Nobiliſſimatu, quaſi initiari, & familiæ Auguſtæ adſcribi, neceſſe haberent. Egregie hæc illuſtrabit omnia locus, qui multorum inſtar eſſe poteſt, Ioan. Zonaræ. * * Ita uero de Iuſtiniano ab auunculo adoptato: Ἰουστινιανοῦ δὲ στρατηλάτου, ὡς εἴρηται, μετὰ θάνατον Βιταλιανοῦ προβληθέντος, ἐκείνῳ ἀνῦτο ἡ πᾶσα διοίκησις. Καί ποτε τῶν τὰς ἡγεμονίας ἐχόντων δεομένων τοῦ βασιλέως κοινωνὸν τῆς βασιλείας ἑλέσθαι τὸν στρατηλάτην, ἐκεῖνος τῆς ἁλουργίδος ἁψάμενος, δι' εὐχῆς ὑμῖν ἤτω, φησὶ μὴ νεώτερον ταύτην περιβαλέσθαι. Καὶ τότε μὲν οὕτω τὴν ἐκείνων δέησιν διεκρούσατο. Οἱ δ' αὖθις μετ' οὐ πολὺ ψήφισμα ἔθεντο, τὴν τοῦ Νωβελισσίμου ἀξίαν τῷ Ἰουστινιανῷ ἐπιψηφιζόμενοι καὶ τὸν βασιλέα ᾔτουν κυρῶσαι τὸ ψηφισθὲν, καὶ ὃς εἴξας, γράμμασιν οἰκείοις τοῦτο ἐκύρωσε. Τραυματισ-

θεὶς

* Cod. LXXX. p. m. 105. edit. Hoeſchel.

* * Annal. L. XIIII. c. 5. p. 47. ed Venet.

δὲ οἱ γινομένου περὶ τὴν κνήμην, κλινήρης ἦν. ὡς δὲ ἡ νόσος ἐκραταιοῦτο, καὶ ἀμφίβολον ἦν αὐτῷ τὸ βιώσιμον, μετακαλεῖται τὸν πατριάρχην Ἐπιφάνιον, μεταπέμπεται δὲ καὶ τοὺς ἐν τέλει, καὶ βασιλέα τὸν ἀδελφιδοῦν Ἰουστινιανὸν ἀναδείκνυσιν αὐτός, τῇ ἐκείνου κεφαλῇ περιθεὶς τὸ διάδημα· καὶ εἰς τὸ τῆς ἱππηλασίας θέατρον τοῦ δήμου τῆς πόλεως ἀθροισθέντος, ἔξεισι πρὸς αὐτὸν ἐστεμμένος ὁ Ἰουστινιανός, καὶ παρὰ πάντων εὐφημηθεὶς ἐπανῆκεν εἰς τὰ βασίλεια, τεσσαράκοντα καὶ πέντε ἔτη τυγχάνων ἐνιαυτῶν. Αὐτίκα δὲ καὶ ἡ γαμετὴ αὐτοῦ Θεοδώρα ἀνερρήθη Αὐγοῦστα, καὶ μετ' ὀλίγον τοῦ Ἰουστίνου ἐπέλιπε τὸν βιώσιμον. βασιλεύσαντι ἐννέα ἔτη, ἐφ' ἡμέρας εἴκοσι. *Iuſtiniano*, inquit, *poſt Vitaliani cædem Magiſtro militum creato, rerum omnium adminiſtratio ei incumbebat. Cum autem principes aliquando imperatorem orarent, ut magiſtrum militum collegam aſciſceret, purpura prehenſa, uobis, inquit, optandum eſt, ne hanc iunior aliquis induat. Ac tum quidem preces eorum ſic eluſit. Illi uero paruo tempore interiecto, Nobiliſſimi titulum Iuſtiniano decreuerunt, & ab Imperatore impetrarunt, ut id decretum ſuis literis comprobaret. Neque multo poſt in ualetudinem incidit ex ulnere cruris, morboque in ſpe uitæ dubia inualeſcente, patriarcha Epiphanio, & primoribus aduocatis, Iuſtinianum nepotem Imperatorem decernit, & ſuis manibus eius capiti diadema imponit. Cumque populus in Equeſtre theatrum conueniſſet, Iuſtinianus coronatus ingreditur, & ab omnibus fauſtis acclamationibus exceptus in regiam reuertitur,*

annos XLV. natus illo tempore. Statim etiam uxor eius Theodora, Auguſta eſt appellata: neque [multo] poſt Iuſtinus in uiuis eſſe deſiit, cum annos VIIII. & dies XX. regnaſſet. Auctorem illuſtris huius tituli, puto fuiſſe Conſtantinum M. qui etiam, poſtquam filios, & Dalmatium, Cæſares feciſſet, primus Conſtantino, ſuo fratri, & Anaballiano Delmatii, eum, propter agnationis reuerentiam tribuit. *Occaſio eius inueniendi, ſine dubio formula illa loquendi fuit, qua Nobiliſſimos, in numis, lapidibus & ſtilo curiali, uocabant Cæſares, & ipſos interdum Auguſtos, inde a Traiani tempore, uti quidem Illuſtr. Spanhemio ** uiſum, uſitata. Ita nimirum ex antiquo illo Patris patriæ titulo orta etiam eſt appellatio recentior, in numis Imperatorum paſſim obuia *Patris caſtrorum*, *Patris exercituum ſeu legionum*. Et ſane lapis, ubi appellationem Nobiliſſimi Cæſaris primum adhibitam inuenimus, modo is genuinus ſit, ad Traiani ætatem referendus eſt, & Iano Grutero *** ſeruatus:

PIO. ATQVE. INVICTO
DN. TRAIANO. NOBILISSIMO
AC. FORTISSIMO. ET. FELICISSIMO

CAE.

* Zoſimus L. II. c. 39.
** de Vſu & præſt. num. diſſ. VIII. p. 667.
*** in Corp. Inſcript. p. CCXXXXVI. n. 9.

CAESARI. SEPTIMIVS.
ACINDINVS. V. C. A
GENS. PER. HISPANIAS
V. C. P. T. VICE. SACRA. COGNOSCENS
NVMINI. MAIESTATIQVE. EIVS
SEMPER. DICATISSIMVS.

Proximus ab hoc, quem uidi, eſt lapis Caracallæ, apud Gruterum *

FORTVNAE. AVG. SACR.
PRO. SALVTE. ITV. AC
REDITV. D. D. N. N.
M. AVR. ANTONINI. PII.
AVG. ET. P. SEPTIMII
GETAE. NOBILISS. CAES.
CIV. BATAVI
FRATRES. ET. AMICI. P. R.
V. S. L. M.

Filiabus Imperatorum, non minus ac filiis Cæſaribus titulum Nobiliſſimarum, multum ante Conſtantini ætatem additum fuiſſe, probat lapidis inſcriptio, a Frid. Lindenbrogio, in notis ad Ammianum Marcellinum ** allata:

IVLIAE. NOBILISS.
PVELLAE. FILIAE. GAL.
LIENI. AVG.

E 3 Poſt

* Pag. LXXIII, n. 9. ** pag. 56.

Poſt Conſtantinum, æque hoc nomine filiæ Auguſti, ſorores, aliæque affinitate aliqua coniunctæ feminæ, ornatæ ſunt. Sic in lege Theodoſii iunioris dicitur; * *Si ad domum dominæ, ac uenerabilis Auguſtæ, Pulcheriæ germanæ, ſeu nobiliſſimarum ſororum pietatis noſtræ pertineat;* & in deſcriptione Conſtantinopolis, antiqui cuiusdam auctoris, ** in regione prima domus *nobiliſſimæ Marinæ*, in nona, & decima, *nobiliſſimæ Arcadiæ*, ſororum Arcadii, occurrit. Succeſſu temporis dignitas Nobiliſſimi, ſicut Cæſaris, immutata in dignitatem Deſpotarum, Sebaſtophororum, Protoſebaſtorum, & Sebaſtorum, filiis Imperatorum Byzantinorum dari ſolitam, plane in deſuetudinem abiit. Quæ noua aulæ Byzantinæ uocabula, ſi quis penitus cognoſcere uelit, conſulat Gloſſarium mediæ ac infimæ Græcitatis Caroli du Freſne, & cetera ab eo ad Hiſtoriam Byzant. edita opera, Georg Codinum, & commentatorem eius eruditum, Iac. Goarum; Porphyrogeniti titulum ſpeciatim Iul. Cæſ. Bulengerus, in Libris de Imperatore, *** & Mart. Hankius, de ſcriptoribus Byzantinis illuſtrarunt. ****

Cum

* Cod. Theod. de ſuſtral. conlation.
** Præfixa Notitiæ Imp. utriusque & ap. Bandurium Tom. I. P. III. Imper. Oriental. p. 335. ed. Venet.
*** Lib. II. c. 8.
**** P. I. c. 25. p. 461. ſq.

Cum titulo Nobiliſſimi Cæſaris, frequentiſſime alium inuenimus coniunctum in antiquis monumentis, Principis ſcilicet Iuuentutis. Hic in libera republica æque ac alter Principis Senatus Imperatoribus abſolute, omiſſo Senatus uocabulo, * tribui ſolitus, iam auditus fuit. Appellabatur autem eo ille, cuius in ſolenni equitum transuectione nomen primo loco a Cenſore legeretur. Inter deſignatos ſucceſſores Imperatorum primum Caio & Lucio nepotibus Auguſti datus fuit, ** quorum ad imitationem alii deinceps quam plurimi, uti e numis & lapidibus uidere eſt, acceperunt. Inde uenit, ut & hodie filios principum ad regimen prouinciarum paternarum olim uenturos, eo appellemus. Non habeo, quod addam iis, quæ Spanhemius VII. diſſertatione de præſtantia numiſmatum, eruditiſſime de Principe iuuentutis diſputat, quem euoluiſſe lectores iuuabit. Sed reuocat nomen Caii & Lucii V. De titulo Principis Iuuentutis.

* Interdum tamen, qui in libera republ. Principes Senatus dici deberent, abſolute Principes ab auctoribus appellantur. e. gr. Princeps M. Scaurus, legitur ap. Plin. Hiſt. Nat. L. VIII. c. 67.

** Monumentum Ancyranum Tab. III. .... EQVITES AVTEM ROMANI VNIVERSI PRINCIPEM IVVENTVTIS ROMANORVM PARM..... T.... THASTIS (parmis utrumque & haſtis) ARGENTEIS DONATVM APPELLAVERVNT.

Lucii memoriam numi cuiusdam Gothici, quem Perilluſtris Dn. Hier. Wilh. Ebner, ab Eſchenbach, ſummus literarum Patronus, cum ſalutatum nuper ad eum acceſſiſſem, mihi monſtrauit, &, ſicut comis eſt, deſcribendum roganti dedit. Qui eum fieri curauit, is numum Auguſti, cuius Ad. Occo & Steph. Erizo iam meminerunt, & quem in fronte huius libelli poſitum ſimul cum altero uidemus, præ oculis habuit; uerum ita expreſſit ueritatem exempli antiqui & pulchri infeliciter, ut ægre aliquis, niſi alterum cum eo conferat, diuinare queat, quid ſibi ueiit tam rude opus. Nimirum reges Gothorum, cum Italiam ab Imperatoribus Græco-Romanis accepiſſent nexu clientelari, non ſolum nomen Auguſti imperantis in altera monetæ parte ſignauerunt, partim reuerentia aduerſus principem Romanum, * partim, ut pecunia ſua ab aliis extra Italiam populis imperii ſuſciperetur; uerum etiam, ſi quando numos ſolo regis ſui nomine cuderent, ſiue ingenio ipſi deficerentur, ſiue honori ſibi ducerent imitari maieſtatem Romanam, ſæpiſſime argutas inſcriptiones, & ænigmata ex antiquis in ſuos transtulerunt. Cuiusmodi non unum aut

* Idem de primis Franciæ regibus, numis ſuis notam CONOB adſcribentibus affirmat Car. du Fresne, in Diſſ. de numismat. infer. æui. num. XLIX. adde num. LXXIII.

aut duos uidi inter cimelia bibliothecæ Viri Excell. Gothofr. Thomaſii. Aſt, cum ſculpturæ & monetariæ artis, quæ etiam inter Romanos mirum quantum a ſuo faſtigio deciderant, imperiti eſſent, adeo male iis ſucceſſit hic conatus, ut, quidquid male factum, & inſulſum in numiſmatibus inferioris æui occurrit, id e Gothorum officinis profectum uulgo putetur. * Ceterum, quisnam numi illius Auguſti ſenſus ſit, luculentiſſime docuit Erizo; ** *Queſta Medaglia fù battuta in Roma, per gloria di queſto Principe, doppo la morte di Gaio & Lucio ſuoi figliuoli over nepoti, i quali morirono in giovenil etade; & fù per avventura fatta per memoria di queſti dui figliuoli d' Auguſto, Della cui morte ſcrive Tranquillo nella vita di Auguſto, con tali parole, ſed lætum eum atque uirentem, & ſobole & diſciplina domus, fortuna deſtituit. Iulias, filiam & neptem, omnibus probris contaminatas, relegauit. Caium & Lucium, in duodeuiginti menſium ſpatio amiſit ambos. Caio in Lycia, Lucio, Maſſiliæ defunctis. Le due figure del roveſcio di tal medaglia ſono di eſſo Gaio e Lucio, diſegnati dal padre Conſoli. Queſti due ſcuti, e due aſte dorate, che doppo la morte di Gaio & Lucio furono*

F

* Patin, dans l'Hiſtoire des Medailles, Chap. 12.

** Nella Dichiarazione di Medaglie antiche, pag. 58.

rono nella curia riposti, ſi come rende teſtimonio Dione al libro 55. con tali parole. Corpora porro Caii & Lucii a tribunis militum, & ſingularum ciuitatum proceribus, Romam apportata ſunt: parmaeque & haſtæ, quas aureas ab equitibus, cum uirilem togam ſumerent, acceperant, in Curia ſuſpenſæ. Alà, infrà l'una e l' altra aſta veggonſi poi le inſegne augurali, cioè l' acerra, ed il lituo, i quali ſi riferiſcono a Lucio, eſſendo egli ſtato Augure, come apertamente fanno fede le antiche iſcrizioni. Seneſcente imperio appellatio Principis iuuentutis, quantum equidem recordor, nonnullis Imperatoribus Auguſtis in numis tribuitur. Fortaſſis tum uocabulum *iuuentutis* accipiendum eſt de legionibus Romanis, ut Principem Iuuentutis dici, idem ſit, quam Principem uel Imperatorem exercituum. Ab hoc parum abludit explicatio Harduiniana, numi cuiusdam, ubi Criſpus Cæſar dicitur PRINCEPS A IVVENTVTIS. i. Princeps primus iuuentutis., * nam A. inquit, *ibi primus eſt, ut in numis ſuperius allatis; ætas noſtra diceret, au Colonel General de l' Infanterie: Suum quisque exercitus Auguſtum habuit, ſuum Principem iuuentutis. Vt omnibus autem exercitibus praeerat ille ex Auguſtis, qui primarius & IMP. &*

P. F.

* de numis Sec. Conſtantiniani p. 466.

P. F. diceretur ; ſic omni iuuentuti, pedeſtriue militiæ Princeps Primus Iuuentutis præerat.

Nunc quid dicendum ſit de ſententia doctiſſimorum quorumdam hominum, Cæſares ſtatuentium oportuiſſe Patricios creari, diſpiciamus. Fauent ei aliquo modo, loca quædam ueterum auctorum, de imperatoribus plebeiis in ordinem patriciorum aſſumtis. Didium Iulianum cum eſſet Imperator appellatus, inter patricias familias relatum ſcribit Spartianus. * Opilium Macrinum Capitolinus refert, * * poſtquam a Senatu eſſet pro Imperatore agnitus, ceu nouum hominem, inter patricios allectum. Maximo, homini plebeio & humili loco nato, una cum Balbino, ſummam rerum a Senatu, *quamuis non liceret nouæ familiæ principatum deferri,* traditam fuiſſe, non ſine admiratione idem auctor dicit; * * * cui tamen neſcio, quantum fidei tribuere debeam, propterea quod locus ubi hæc leguntur, non ſolum miſere corruptus eſt, uerum etiam Herodianus, ſcriptor inſignis, utrumque εὐγενεῖς καὶ εὐπατρίδας uocat. * * * * At plus habet auctoritatis exemplum Pertinacis, electi a militibus, poſt Commodi cædem, imperatoris. Nil elegantius & prudentius eſſe

VI. Num Imperatores & Cæſares neceſſe habuerint Patriciis adſcribi

F 2 po-

* in uita eius cap. 3.
* * in uita eius c. 7.
* * * in Max. & Balbin. c. 5.
* * * * Hiſt. VIII. c. 8.

poteſt uerbis Herodiani: * ἐπείπερ ἱδρύθη ἐν τῷ βασιλείῳ ἑστίᾳ --- φροντίσι μεγίσταις τὴν γνώμην ἐταράττετο, - - ἐλογίζετο γὰρ τὴν ἐν τῇ συγκλήτῳ βουλῇ ἰσχυρῶν εὐγένειαν, οὓς ὑπώπτευεν οὐκ ἀνεξομένους, μετὰ βασιλέα εὐγενέστατον, τὴν ἀρχὴν μεταπεσοῦσαν ἐς ἄνδρα ἐξ ἰδιωτικοῦ καὶ ἀσήμου γένους, ἐπὶ τοῦτο ἐλθοῦσαν· εἰ γὰρ καὶ ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ σωφροσύνῃ ἐπῃνεῖτο, καὶ τὰ ταῖς ἐν στρατιωτικαῖς πράξεσιν ἦν εὐκλεῆ, ἀλλ' ὅσον εὐγενείας χάριν, πολὺ τῶν εὐπατριδῶν ἀπελείπετο. Ἡμέρας οὖν καταλαβούσης κατῆλθεν ἐπὶ τὸ συνέδριον τῆς βουλῆς, οὔτε τὸ πῦρ ἐάσας ἑαυτοῦ προπομπεῦσαι, οὔτε τι ἄλλο τῶν βασιλικῶν συμβόλων εἰς ὕψος ἀρθῆναι, πρὶν ἢ μαθεῖν τὴν γνώμην τῆς συγκλήτου βουλῆς· ἐπεὶ δὲ αὐτὸν ἅμα τῷ ἐπιφανῆναι πάντες ὁμοθυμαδὸν εὐφήμησαν, σεβάσμιόν τε καὶ βασιλέα προσηγόρευσαν. Ὁ δὲ τὰ μὲν πρῶτα, παρῃτεῖτο τῆς ἀρχῆς τὸ ἐπίφθονον. γῆράς τε προϊσχόμενος, συγγνώμης ἐδεῖτο. εἶναί τε πολλοὺς εὐπατρίδας ἔφασκεν, οἷς ἡ βασιλεία μᾶλλον ἁρμόζει. Καὶ λαβόμενος τῆς χειρὸς Γλαβρίωνος, εἷλκεν αὐτόν, καθίζεσθαι κελεύων ἐπὶ τὸν βασίλειον θρόνον. Ἦν δὲ ἐκεῖνος εὐγενέστατος μὲν πάντων εὐπατριδῶν· ἀνέφερε γοῦν εἰς Αἰνείαν τὸν Ἀφροδίτης, καὶ Ἀγχίσου τὴν τοῦ γένους διαδοχήν. *poſtquam*, ait, *in aulam imperatoriam deductus eſſet*, (Pertinax) *magnis curarum motibus æſtuabat, reputabat enim nobilitatem quorundam Senatorum, quos minime paſſuros arbitrabatur, poſt imperatorem generoſiſſimum, recidiſſe principatum ad hominem priuatæ ſtirpis atque obſcuræ. Nam etſi uita ipſius plane temperans ac frugalis audiebat, maxi-* mam-

* Lib. II, c. 3.

mamque in bellicis negotiis gloriam fuerat adeptus, attamen claritate generis impar habebatur. Igitur poſtquam diluxit, in curiam ſe contulit, neque ignem ſibi præferri, neque ulla principatus inſignia paſſus attolli, donec Senatus ſententiam ſcitaretur. Sed eum omnes ſimul atque uiderunt, lætis acclamationibus unanimiter exceperunt, Auguſtumque & Imperatorem conſalutarunt. At ille recuſare inſtitit, tanquam rem inuidioſam, nomen imperii, excuſare ſenectutem, ueniamque orare: multos eſſe dictitans patricios uiros, quibus magis imperium conueniret, ſimul Glabrionem manu comprehenſum, protrahens, ſeſſitare imperatoria ſella iubebat. Erat enim ille omnium patriciorum nobiliſſimus, ad Æneam, Veneris & Anchiſæ filium, ſeriem generis referens. Sic etiam Mucianus Veſpaſianum laudauit, quod in imperio ſibi parando, *ceſſerit Galbæ imaginibus.* * Præterea Dio Caſſius ſuppeditat, quo ſententia de Cæſare inter patricios allegando, nonnihil firmitatis accipere uideatur. Nimirum Iulium Cæſarem *reduxiſſe* narrat *Octauium* (heredem imperii futurum) *ad patricios* & ad gerendum magiſtratum erudiiſſe; ** & Auguſtum patriciorum familias, Senatu id probante, quia pleræque perierant, ſuffeciſſe,

 opus

* Hiſt. L. II. c. 75.
** L. XXXXV. p. 179.

opus enim patriciis ad pleroſque patrios ritus eſſe *. In primis huc facit locus, in quo nefas ducere Imperatores dicit, tribunatum plebis gerere, *cum utique ipſi in patriciis cenſeantur*, ** omnem uero tribunitiam poteſtatem, quanta unquam maxima fuerit, accipere. ***. Habent hæc, ſi quid aliud, magnam ueritatis ſpeciem, attamen apparebit, non ſatis

* L. LII. p. 334.

** L. LIII. p. 344.

*** Iuſtinianus etiam Theodoram ſuam *εἰς τὸ πατρικίων ἀξίωμα* euexiſſe dicitur Procopio in Anecdot. cap. II. Verum, cum ab æuo Conſtantini M. patriciatus, non tam conditionem naſcendi hominis certam, qua ab omni plebeio, quamuis nobiliſſimo, unice diſtinguebatur, quam ſummam in imperio dignitatem (*τιμὴν ἀνωτάτων*) & honorem, codicillis imperialibus obtinendum a ſingulis, neque ad filios & nepotes propagandum, ſignificare cœpiſſet, facile uidemus, patriciatum Theodoræ nihil commune habuiſſe cum antiquo illo, de quo in præſenti agimus. Nimirum idem inter Theodoram patriciam, & mulierem patriciam antiquioris temporis, poni diſcrimen debet, quod ſeculo Traiani, & huic proximo, inter feminam generis patricii, & matronam priuilegio conſularis matrimonii gaudentem, interceſſiſſe nouimus. Vxor patricii tum nobilis quidem more hodierno, ſed ſine dignitate erat, niſi maritus inſigni aliquo officio coruſcaret. Iuſtinianus uero, cum ſponſæ Patriciorum ſui temporis axioma tribueret, idem fecit, quod Imperator interdum hodie in Germania, dum feminæ plebeiæ, aut etiam nobili, principi uiro nuptæ, ne matrimonium inæquale in detrimentum filiorum remaneat, nomen & dignitatem principis largitur.

tis ad ſuſtinendam, quæ iis ſuperſtruitur, ſententiam ualida eſſe. Quantum enim ad Iuliani & Opilii Macrini exemplum attinet, ueſanum quidem eſſet, negare ea, quæ auctores claris uerbis docuere; attamen me non mouent, ut aſcitionem inter patricios, quæ duobus hiſce principibus contigit, in omnibus reliquis infra patricium genus natis Imperatoribus, uel Cæſaribus, factam fuiſſe credam. Equidem facile largior, eos potius faſtigio Auguſtali dignos fuiſſe iudicatos, qui uel e patricio genere, uel nobili multis imaginibus familia, prodiiſſent, quam ii, qui patrem auumque ciere non poſſent, eumque Imperatorem, quem natalium ſors reliquis non æquauit, inuidiam nobilitatis in ſe prouocauiſſe; ludibrioque fuiſſe, niſi faſtum metu coërcere noſſet, aut opinioni, quam de ſe præclariſſimam iſti homines habebant, in tantum indulgeret, ut corpori eorum aggregari non detrectaret. Et cum Senatus Iulianum, & Macrinum patricios declarauit, id quidem mea ſententia fecit, quia non crederet fore, ut hæc ſua ſtudia diſpliceant nouo principi. Neque e re erat horum, ſpernere beneuolentiam illuſtris huius ordinis, ſub auſpiciis imperii difficilis & intuti. Iam uero dicat mihi aliquis, cur reticeant ſcriptores, in aliis titulis & honoribus, a Senatu nouis Imperatoribus delatis, recenſendis curioſi, hoc Senatus Conſultum æque honorificum, ac multa inter-

terdum alia? ſine dubio, quod incognita ueteribus eſſet ea iuris publici diſpoſitio. Porro, quidnam aut dignitatis, aut potentiæ conſecutus eſt Imperator Romanus patriciatum adeptus? Quid ſanctius nomine Auguſti! quid magis honorificum, quam Cæſarem dici? quid Imperatorio titulo maius excogitari poteſt? Noui quidem ex Dionyſio Halicarnaſſeo, Liuio, & ex aliis rerum Romanarum conditoribus, neceſſe primis reipublicæ temporibus fuiſſe, ut patricius eſſet, qui honores adipiſci aut Senatum ingredi cuperet. Sed euanuit dudum ea ſanguinis patricii reuerentia. Pridem enim P. Decius Mus apud Liuium, * *L. Sextius*, inquit, *primus de plebe Conſul eſt factus; C. Licinius Stolo primus Magiſter equitum; C. Manius Rutilus, primus & dictator & cenſor; Q. Publilius Philo, primus prætor. Semper iſta audita ſunt eadem; penes uos auſpicia eſſe, uos ſolos gentem habere, uos ſolos iuſtum imperium, & auſpicium domi militiæque. Æque adhuc proſperum plebeium ac patricium fuit, porroque erit.* Denique, Dionis Caſſii uerba minime omnium neceſſitatem innuunt, quare omnis princeps patricius fieri debuerit. Patriciis adſcripſit Octauianum Iul. Cæſar. Sed quare hoc? nimirum, quod crederet prudentiæ eſſe, ut ſucceſſor, cum potentia omnibus anteiret, honore familiæ ulli inferior non eſſet; neque ne-

* Hiſt. Rom. L. X. c. 8.

gari poteſt, patricias familias ſub Cæſaribus etiam, maxima in exiſtimatione conſtitiſſe; ideoque Auguſtum atque Alexandrum Seuerum, cum plurimas bellis aut temporis longinquitate interiiſſe uiderent, de ſupplendo earum numero cogitaſſe. Illi uero ritus patrii, ad quos, etiam ſub imperio principum, nullus, niſi idem patricio ſanguine cretus eſſet, idoneus cenſebatur, ad certa tantummodo ſacra, religionesque pertinebant, nec principis perſonam, ut peragerentur, poſtulabant. Iam uero manſerunt ſub Imperatoribus præter domos patricias plerasque Rex ſacrorum, Flamines maiores, Salii, omnes ex patriciis deſumendi, quorumque, ne in hac etiam parte ſuperſtitio ornamento ſuo, & præſidio deficeretur, curæ eiusmodi ceremoniæ demandari ſolebant. Neque maioris momenti eſt, quod Dio Imperatores tribunatum plebis non accipere, ſed tribunitiam poteſtatem dicat, propterea quod patricii ſint. Nam ſi unquam errauit Dio, certe in hoc errauit, id quod facile credent, ii, qui ſciunt, quantum inter tribunitiam poteſtatem principum, & tribuni ordinarii officium interſit. Sed uix unus eſt Romanæ hiſtoriæ ſcriptor, præſertim græcus, immunis ab erroribus, ut lectores proinde male non debeat habere audacia, qua hiſtoricum tam celebrem lapſum eſſe ſtatuo. Sed age uideamus, quatuplici ratione tribunitia poteſtas præſtet officio, & nomine tribuni plebis, ut appareat, principes eam cum maluerint, quam nomen tribu-

ni gerere, appetiiſſe ob poteſtatem, quam ampliſſimam dabat, non uero, quaſi ob communionem ordinis patricii, tribuni plebis fieri prohiberentur. Otium in explicanda utriusque differentia mihi fecit doctiſſimus Schwarzius, * cuius uerba ornamento erunt noſtræ commentationi. *Tribunatus plebis*, inquit, *ratione ordinis infra Conſulum & Prætorum faſtigium cenſebatur; at teſte Tacito, L. III. Annal. c. 56. tribunitia poteſtas omnia imperia præeminuit. Adhæc, Tribunatus plebis antehac cum conſulatu, aliisque magiſtratibus maioribus coniungi non potuerat, utpote ad quorum potentiam & uim minuendam atque reprimendam, primum fuerat inſtitutus; at Imperatores quicunque fuerant, inſignes honores in republica in ſe receperunt, & cum tribunitia poteſtate coniunxerunt. Præterea ſtante olim republica libera, qui parentem ſuperſtitem habebat, Tribunus plebis eſſe non potuit; unde apud Liuium Dec. III. L. VII. negarunt Seruilium Tribunum plebis fuiſſe; quod patrem eius, quem Triumuirum agrarium occiſum eſſe, opinio per decem annos fuerat, uiuere atque in hoſtium poteſtate eſſe, ſatis compertum exploratumque erat. At Cæſares, Auguſtorum filii, patribus adhuc ſuperſtitibus, tribunitiam poteſtatem omnino geſſerunt. Denique Tribu-*

* in allegata diſſ. n. 23.

bunatus plebis ordinarie non fuit niſi annuus, & , ſi continuaretur, plebis iuſſuatque conſenſu continuabatur, Auguſtorum uero tribunitia poteſtas erat perpetua; & , ſi referebant Auguſti , tunc Senatus populique Romani nomine, ſolus plerumque Senatus decernebat, Cæſaribusque dabat hanc poteſtatem, ne quidem plebe conſulta. Poſtremo tribuni plebis in ea , quæ fuerunt extra urbem , nullam habuere poteſtatem, utpote quorum poteſtas mœnibus fuit circumſcripta, ut refert Dionyſ. Halicarnaſſ. L. VIII. Ant. Rom. aut certe non longius ab urbe mille paſſuum ad tribunos prouocatio ualuit. Hinc , ſi quid , ſublata interceſſione tribunorum , per populum agi uellent Conſules, extra urbem mille paſſus , comitiis indictis , & euocato Senatu , decreuerunt; quo ſi ueniebant Tribuni , in alia turba Quiritium , ſubiecti conſulari imperio putabantur ; id quod ex Liuio cognoſcimus Decur. I. Lib. III. At uero Auguſtorum tribunitia poteſtas ubique per Romanum imperium fuit ualida , itemque ad eos omnibus Ciuibus Romanis , quocunque loco per orbem Romanum diſperſi fuerunt , prouocare licuit. Hinc Tiberius cum Rhodi eſſet , ius tribunitiæ poteſtatis exercuit. Sueton. in uita Tib. c. XI. Hinc ni fallor, etiam Diuus Apoſtolus Paulus iniuſte a Iudæis accuſatus, a Feſto ad Neronem Imperatorem prouocauit. Act. Apoſt. c. XXV. Hæc quidem cum ita ſint,

quis recti ac limati iudicii homo perſuadere ſibi poterit, Imperatores accepiſſe tribunitiam poteſtatem, quod non auderent tribunatum ipſum ambire, tanquam quos ordinis mutatio muneri iſti inidoneos reddidiſſet? Itaque inutile uidemus eſſe argumentum, quod ex hoc Dionis loco depromitur. Cæterum, quæ ſupra allegaui auctorum loca, de Auguſtis quidem ipſis agunt; uerum ſi in his eiusmodi adoptionem nobis fingamus, neceſſarium erit eandem in Cæſaribus, ſiue conſortibus imperii & deſignatis heredibus Auguſtalis maieſtatis ſtatuere. Præter alias enim cauſas, quare credo, dignitatem patricii, ſi nouis Imperatoribus per SCtum, ut alii honores, ordinarie dari ſolita fuiſſet, iis quoque delatam eſſe, & hoc moueor, quod tribunitiæ poteſtatis ſæpe participes, nunquam uero ipſum tribunatum geſſerunt, id quod ſi quidem uera eſſet Dionis ſententia, pro effectu mutati ſtatus habendum eſſet. At ſilet de eo hiſtoria, qua non ſuffragante tradere aliquid, nefas eſt.

CA-

CAPVT III.

DE INSIGNIBVS ET PRIVILEGIIS DIGNITATIS CAESARIS.

Alterum nunc tractationis noſtræ caput, quo inſignia dignitatis Cæſareæ exponemus, & ſingularia iura, adgrediamur. Imperatoris nomen, ſub quo C. Iulius Cæſar ſummam rerum primus ſuſcepit, non niſi in bello auditum fuit, & ducem ſumma poteſtate, & imperio in milites præditum, ſignificauit. Quia uero leges Romanorum hucusque nullum Imperatorem in urbe cum imperio uiuere uellent, C. Cæſar, antiquam ſtatus publici formam, quantum quidem poſſit, retinere cupiens, res urbanas dictatoris, conſulis, pontificis maximi, tribuni plebis nomine, externa & militaria negotia Imperatoris gerere maluit. Morem auunculi ſecutus eſt C. Cæſar Octauianus; cumque reſpublica iure uictoriæ ei rurſus ceſſiſſet, in urbe Princeps, Pontifex, Conſul, &c. in exercitu & prouinciis Imperator & Auguſtus dici uoluit. Succeſſor eius Tiberius, neque dominum ſe ab homine libero, neque Imperatorem, niſi a militibus uocari paſſus eſt; omnino autem Cæſaris & quandoque propter res a Germanico geſtas, Germanici, Principisque

I. Inſignia Imperatorum & Cæſarum Roman. ex more militiæ petita. Inſigne primarium purpura.

Senatus, more antiquo, nomen ipſe ſibi tribuit; ſæpius dicens, dominum ſe ſeruorum, Imperatorem militum, Principem ceterorum * eſſe. Nulla quoque in urbe peculiaria inſignia potentiæ affectarunt, toga eadem, qua ceteri ciues, & Magiſtratus, utentes. ** Quæ igitur inſignia principalis faſtigii toties apud auctores leguntur, omnia ex uſu militiæ deſumta, neque alibi uſpiam ac in caſtris adhibita, eademque fere fuere, quæ in libera republica Imperatores Romani geſtare conſueuerunt. Præcipuum uero Imperatorium inſigne paludamentum fuit purpureum, ſiue chlamys coccinea; cuius uſum ante Cæſarum tempora frequentem, egregie oſtendit Octauius Ferrarius, in libris de re ueſtiaria. *** Satis bene deſcripſiſſe uidentur ii, qui ueſtem militarem tunicæ ſuperindui ſolitam fuiſſe dicunt, & ad ſuras usque pertinentem, fibulaque in dextro humero connexam. A ſago, communi omnium militum habitu non niſi in eo diſtinguitur, quod paulo longius, & e purpura confectum eſſet, cum hoc fuſci plerumque coloris ſoleret. Ea igitur purpurea chlamys ſeu paludamentum, a principibus, tanquam inſigne ſummæ poteſtatis & faſtigii retentum, ſibique ita proprium redditum fuit, ut non ſolum purpuræ uſum omni-

* Dio Caſſ. Lib. LVII, p. 415.
** Trebell. Pollio in Gallienis, c. 16.
*** P. II. Lib. III. c. 15.

omnibus priuatis plane interdicerent, ſed etiam purpura, ſexcentis auctorum locis, pro ſummo imperio poſita inueniatur. Quamquam ea, quæ de purpura, tanquam re ex uſu priuatorum ſublata, dico, non ita rigide accipi debent, ac ſi magiſtratibus etiam deſiiſſet ornamento eſſe. Minime gentium. Obtinuerunt enim ſub Imperatoribus tunicæ Senatorum laticlauiæ, togæ Conſulum & Prætorum prætextæ, ueſtes triumphales pictæ, quibus omnibus purpuræ aliquid adſutum fuiſſe certe conſtat. A lacernis ſolum, quæ promiſcui uſus iam erant, & ueſtibus quotidianis, & mulierum, eam abeſſe principes uolebant. * Primus qui purpura priuatos prohiberet, C. Iulius Cæſar fuit, ** ita tamen, ut certis perſonis & ætatibus, & per certos dies eam permitteret. At Nero *** mulieribus quoque, quarum indulſerant uanitati anteceſſores in imperio, Amethyſtini & Tyrii coloris uſum ademit, adeo, ut inter canendum animaduerſam matronam e ſpectaculis uetita purpura cultam, demonſtrauerit procuratoribus ſuis, detractamque illico non ueſte modo, ſed & bonis exuerit. Quam legem ſucceſſores Neronis obſeruari ſerio uoluerunt, usque ad Aureliani ætatem, qui matronis rurſus ut tuni-

* Ferrarius in Analectis ad rem ueſt. c. 11.
** Sueton. in Iul. Cæſ. c. 43.
*** idem in Nerone c. 32.

tunicas blatteas haberent, & ceteras ueſtres conceſſiſſe Vopiſco dicitur. * Qui poſt Aurelianum imperarunt, non ſolum purpureas ueſtes, ſed & paragaudas auratas ac ſericas, auro intextas, uiriles præcipue, priuatis uſibus contexere * * prohibuere, imo poteſtatem colligendi murices, & fucandi uellera purpura, tanquam regale ius quoddam ſibi ſolis uindicarunt, * * * & ornamenta regia nonniſi intra aulam fieri, & a palatinis artificibus uoluerunt, ſancientes, ut, *quod in cultu ornatuque Auguſtali ſacrum & adoptabile eſt, id facere temeritas priuata non audeat.* * * * * Eiusmodi igitur paludamentum purpureum, tanquam inſigne maieſtatis principalis datum etam fuit ab Auguſtis iis, quos Cæſaris appellatione inſignitos, in partes regiminis & ſpem ſucceſſionis uocarunt. Inter alia, quæ hunc morem loquuntur, innumerabilia ſcriptorum loca, maxime celebris eſt, quamquam miſere ex parte corruptus, adeo, ut magnus olim Salmaſius de emendatione eius

* in Aurelian. c. 46. collat. c. 29. & Salmaſius ad h. loc.

* * L. 1. 2. 4. Cod. de ueſt. holoberis. cf. Cod. Theodoſ. L. 1. 2. 3. de ueſt. holob. & auratis. Vopiſcus in Tac. c. 10.

* * * L. 1. Cod. quæ res uenire non poſſunt. Cod. Theod. de Murilegulis & Gynæceiariis, l. 13. & 18. & Iac. Gothofredus in comment. Gutherius de Offic. domus Aug. L. III. c. 20. 21. Notitia Imp. Occident. ſub Illuſt. Comite Sacr. Largition.

* * * * L. unica Cod. nulli licere in frenis & equeſtribus ſellis.

eius deſperauerit, ille Capitolini, * ubi Commodus Imp. ad Albinum, quem Cæſarem deſignauerat, ſcribit: *Sane ut tibi inſigne aliquod imperialis maieſtatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem me præſente, & ad me, & cum mecum fueris, habiturus & purpuram, ſed ſine auro, quia ita & proauus meus Verus, qui puer uita functus eſt, ab Hadriano, qui eum adoptauit, accepit.* Fuit olim doctiſſimus uir, ** qui, cum uideret hoc loco pallii coccinei, & purpuræ, quam olim Albinus habiturus eſſet, diſtinctam mentionem fieri, diſcrimen exinde inter paludamentum Imperatorum Auguſtorum, & Cæſarum ſibi fingeret, dum horum cocco ſaltem, illorum purpura infectum, ideoque multo pretioſius fuiſſe ſtatueret. Verum enim uero, nimis lubricum eſſe fundamentum iudico eius ſententia, quæ unico loco, eoque mutilo & deprauato nititur, reliquis omnibus auctoribus id diſcrimen ignorantibus. *** Ceterum non nego, coccum inferius pretio fuiſſe purpura, quæ e ſanguine muricum conficiebatur; colorem etiam utriusque inter ſe diſcrepaſſe ſcio, quod illud plus luminis haberet, hæc au-

H ſte-

* in uita Albini, c. 2.

** Octau. Ferrarius l. c. P. I. L. II. c. 7.

*** Generatim Plinius Hiſt. Nat. L. XXII. c. 2. Coccum imperatoriis dicatum paludamentis dicit.

ſteritatis. * Præterea, qualenam pallium fuerit, cuius in epiſtola Imperator meminit, non adeo certum eſſe, queruntur. Sed nullum aliud, meo iudicio in animo habuit, quam, quod alias rectius paludamentum dicebatur. Nimirum ſeculo poſt Chriſtum ſecundo & tertio, uſus palliorum & penularum & lacernarum ita inualuit Romæ, ut uix aliquis conſpiceretur togatus, niſi is magiſtratus eſſet, aut Senator, quem habitus peregrinus dedeceret, ipſis Imperatoribus non raro lacernis & penulis purpureis utentibus. ** Hinc facile, ut Commodus in epiſtola familiari uocabulum pallii, pro paludamento adhiberet, euenire potuit. Deinde in multis conueniunt inter ſe pallium commune & paludamentum imperatorium, ut ſimilitudo etiam formæ utriusque errori occaſionem præbere poſſet. Audiamus deſcribentem Tertullianum; *** *in uiris*, inquit, *pallii ex-*

* Salmaſius Exercitat. Plinian. in Solin. p. m. 192. Ioh. Brodæus Miſcel. L. I. 8. ap. Gruterum Tom. II. Lamp. Criticæ. Nitor cocci ſincero minio ſimilis apud Plinium legitur, Hiſt. N. L. XXXIII. c. 7.

** cf. Lamprid. in Alex. Seu. c. 42. Imo in Statuas, in quibus, ſicut in pictis imaginibus, quas ſibi aliquis facit, grauitatis & modeſtiæ maxima ratio habetur; inuento nouicio, penulæ uſus transmigrauit ætate Plinii maioris. v. Hiſtoria eius Natur. L. XXXIIII. c. 5. ſect. 10.

*** de Pallio, c. I.

extrinſecus habitus, & ipſe quadrangulus, ab utroque laterum regeſtus, in fibulæ morſu humeris acquieſcebat. Equidem ſcio, hæc Tertulliani uerba nonnullos non de communi Græcorum uel Romanorum pallio, ſed peculiari quodam Chriſtianorum ueterum, accipere. Horum uero ſententiæ antequam ſubſcribam, uellem probent auctoritatibus, Chriſtianos olim uſum ordinariæ ueſtis reliquiſſe, aut proferant cauſas, quæ eos, ut ſeſe diſtinguerent tali modo, intempeſtiue ſane, a paganis, impulerint. Sic etiam quod pallæ illuſtrium feminarum, aliquo modo conuenirent paludamento, Plinius * feſtinatione calami fortaſſe lapſus, Agrippinam Claudii principis, edente eo naualis proelii ſpectaculum, aſſediſſe tradit, *indutam paludamento auro textili, ſine alia materia.* ** Atque eo purpureo paludamento aut pallio ſemper utebantur Cæſares, quando in publicum procederent, *** aut milites alloquerentur, eodemque rurſus, ſi quando dignitatem ſuam Auguſti iudicio amitterent, exuebantur, id quod de Gallo annotauit Ammianus. **** Inaugurationis etiam Cæſareæ ſolennia, quæ ſatis longa & numeroſa noſtro tempore eſſe ſolent, ſola purpuræ iniectione

H 2 omnia

* Hiſt. Nat. XXXIII. c. 3. Sect. 19.

** Pallam rurſus pro paludamento ſeu chlamyde regia dixit Statius, Thebaid. L. VII. u. 39. & XI. u. 400.

*** Paul Diac. L. XVI. p. m. 485.

**** Lib. XIIII. c. 38.

Digitized by Google

omnia abſoluebantur, * eaque tam neceſſarium inſigne principi fuit, ut non raro a uexillis & draconibus, imo ipſis deorum ſimulacris abſtracta, ad induendum nouum Imperatorem legatur. * * Interdum etiam Imperatores Auguſti iis, quos Cæſares deſignabant, propriis manibus, ſpectante milite & populo, ſacram iſtam ueſtem iniiciebant, * * * uel abſentibus induendam mittebant. † Iam quæri a nonnulis ſolet, an aurum adſui Imperatores & Cæſares huic purpureæ chlamydi paſſi fuerint. Non ita abſurde affirmari poſſe credo, ob uerba epiſtolæ Commodi, antecedente modo pagina allegatæ. Corippus poëta Seculo VI. etiam chlamydis purpureæ *rutilo ornatæ metallo* meminit, † † & Zoſimus ueſtis κοκκοβαφῆ καὶ περιχρύσου. in Conſtantio Conſtantini M. fratre & Anaballiano; † † † quamquam, ſi quis Zoſimi uerba de alia quadam priuata potius, quam de paludamento uelit intelligere, non habeo quod ſuccenſeam. Negat quidem Albertus Rubenius † † † † Im-

* Ammianus Marcell. L. XXVI. c. 5.
* * Idem L. XV. c. 11.
* * * Idem L. XV. c. 20.
† Lactantius de M. P. c. 25.
† † de laudibus Juſtini L. I. u. 119.
† † † Zoſimus L. II. c. 39. Adde ſi uis locum Iſidori, Origg. L. XVIIII. 24. ubi Paludamentum Imp. cocco & purpura & auro diſtinctum dicit.
† † † † de re ueſtiaria Lib. I. c. 10.

Imperatores alia, niſi pura ueſte purpurea uſos, ſed uellem euertiſſet teſtibus fide dignis egregius uir, quod aliis credi non uult. Optimum ſane uidetur ſtatuere, ſeculo tertio quartoque, omnino paludamentum imperatorium auro limbatum aut diſtinctum fuiſſe, de anterioris temporis more, teſtimonia, quæ omnem rem componant, deficere.

Hoc modo, ſatis longo tempore paludamentum, ſicuti deſcripſimus, unicum, & primarium inſigne dignitatis Auguſtæ ac Cæſareæ manſit, donec principatus ſpecie in regni formam mutata, alia noua accederent. Notiſſimum eſt, Imperatores Romanos abſtinuiſſe ab omni ornatu regio, in primis diademate, niſi quod Gallienus corona radiata * proceſſit, & Aurelianus diademate caput cinxit. * * Quos tamen alii non ſunt ſecuti, antiquo Imperatorum cultu contenti. A Diocletiani tempore uero, diadema, & calcei gemmati in urbem illata, principibus una cum purpura, pro ſignis ſummi faſtigii inſeruierunt. Hoc credo probari uerbis Eutropii: † *Hic* (Diocletianus) *imperio Romano primus regiæ conſuetudinis formam magis, quam Romanæ libertatis inuexit, adorarique ſe iuſſit, cum ante eum cuncti ſalutarentur.* Orna-

II. De diademate; an a Cæſaribus uſurpatum fuerit?

* Treb. Pollio in Gallieno c. 16.
* * Aurel. Vict. in epitome c. 35.
† Hiſt. L. VIIII. c. 16.

namenta gemmarum ueſtibus calceamentisque indidit. Nam prius imperii inſigne in chlamyde purpurea tantum erat, reliqua communia. Nihil quidem de diademate nominatim in hoc loco inuenitur: at, cur dubitem eum, qui regio & peregrino more adorari uoluit, qui calceos gemmis illuſtrauit, aſſumſiſſe etiam diadema? Ab eo etiam tempore ſcriptores diadematis imperatorii mentionem faciunt, & in numis capita principum plerumque eiusmodi ornamento redimita apparent. An diadema, ſiue faſcia illa, duplici margaritarum linea oblaqueata, & gemma in fronte grandiori reſplendens, Auguſtis tantum proprium, nec cum Cæſaribus communicatum fuerit, merito quæritur. Qui ita ſtatuunt, plurima adducunt auctorum loca, quibus diadema ceu inſigne refertur, primo, hoc eſt Auguſtali faſtigio reſeruatum. Sic Iuliano Cæſari, in nomen Auguſti ab exercitu euecto, diadema, quo caruerat adhuc, impoſitum eſt. Digna ſunt Ammiani uerba * ſuper hac re, quæ apponantur; ex iis enim, quæ forma diadematis Auguſtalis fuerit, aliqua ex parte cognoſci poteſt. *Impoſitus*, ait, *Iulianus ſcuto pedeſtri, & ſublatius eminens, populo ſilente, Auguſtus renuntiatus, iubebatur diadema proferre, negansque unquam ſe habuiſſe, uxoris colli uel capitis poſcebatur. Eoque adfirmante primis auſpiciis non*

* L. XX. c. 9. cf. Iulianus ipſe in epiſtola ad Athenienſes.

non congruere aptari muliebri mundo, equi phalera quærebatur, uti congrua ornatus ſpecie, ſaltem obſcuram ſuperioris prætenderet poteſtatis. Sed cum id quoque turpe eſſe aſſeueraret, Maurus nomine quidam, poſtea Comes, qui rem male geſſit apud Succorum anguſtias, Petulantium tunc haſtatus, abſtractum ſibi torquem, quo ut Draconarius utebatur, capiti Iuliani impoſuit confidenter. Conſtantio uero Auguſto maximopere indignante factum Iuliani, ad ſummam dignitatem ſe inſcio adſpirantis, hic, ut leniret iram Principis ſui, legatis miſſis pollicitus eſt, * *diademate poſito dignitatem Cæſaris retinere.* Eodem modo Zoſimus Conſtantinum, * * Galliarum tyrannum, tradit, Conſtantem filium, diademate cinxiſſe, & pro Cæſare Auguſtum dixiſſe; nec Corippi poëtæ uerſus aliud quid indicant de Iuſtino II. Cæſare a Iuſtiniano, auunculo, deſignato: * * *

Cum magni regeres diuina palatia patris,
Par extans curis, ſolo diademate diſpar
Ordine pro rerum uocitatus cura palati,
Diſpoſita iam Cæſar eras.

Idem

* Zoſimus L. III. c. 9.
* * Lib. VI. c. 13.
* * * de Laud. Iuſtini Minoris L. I. u. 134.

Idem Iuſtinus Cæſar, defuncto Iuſtiniano, Imperator conſtitutus, cum palatium intraſſet, *

Accelerant fidi, cura eſt ut cuique, miniſtri,
Obſequiis præbere manus, promuntque feruntque
Auguſtas ueſtes pretioſaque cingula gemmis,
Et capitis diadema ſacri. Cultu ipſe priore
Exuitur, tantumque uno ueſtitus amictu
Conſtitit, & lumen membris regalibus auxit.

Interiectisque nonnullis, de reliquo Auguſtali ornatu pergit uates, * *

Armati manibus ſacrati circulus auri
Impoſitus collo imperium ſublime dicauit:
Quod faciens ter, ter dextram cum munere tendens
Auguſti, Iuſtine, locum tibi confero dixit.

At non ſolum rurſus multa auctorum loca * * * diadema Cæſarum loquuntur, ſed & in numis, Cæſarum capita faſcia, ſeu circulo regio circumdata conſpiciuntur. Duorum ſaltem mentionem facit Io. Harduinus, & ſi ei credere uelimus, unici in hoc genere ſunt. Vnus

* Lib. II. u. 86.
* * u. 130.
* * * E. gr. Euſebius de uita Conſtant. L. I. c. 18. & quæ a Iul. Cæſ. Bulengero congeſta ſunt L. II. c. 1. de Imperatore.

Vnus ad Criſpum, Conſtantini M. filium, Cæſ. refertur. Eius aduerſa pars caput Criſpi uittatum, ſeu diadematum refert, absque tamen inſcriptione; in auerſa, uerba CRISPVS CAESAR, & uictoria gradiens cum palma & corona, apparet; infra SIRM. (Sirmium) & hic quidem numus ex auro, in Gaza regis Galliæ extare illi dicitur. Alter ex argento, Conſtantinum, Conſtantini Fil. Cæſarem habet diadematum, ſimillimusque in reliquis eſt priori, niſi quod T R. i. e. Treuiris eſt excuſus. Hunc in Cimelio Dn. Faucault, inueniſſe Harduinus, eundemque conſpici ex auro in Gaza regia tradit. Præterea literas SMT. h. e. ſocietas Mercatorum Treuirenſium ſubiectas habet. Hinc non dubito affirmare, poſt Conſtantinum M. etiam Cæſaribus inſigne quoddam capitis, maximam partem cum Auguſtali illo conueniens, niſi quod gemmis non fulgeret, minorisque alias eſſet pretii, * præter purpuræ uſum, quo & reliqui Auguſtorum filii, & agnati gaudere incipiebant, * * tributum fuiſſe.

I Præter

* Spanheim. l. c. diſſ. VIII. p. 681.

* * Zoſimus L. II. c. 39. Ita Themiſtius etiam Orat. VI. p. m. 124. eum diem, quo Valentinianus Iunior, Nobiliſſimus puer adhuc, conſulatum gerere incepit, dicit τῆς ἁλουργίδος καὶ τοῦ στεφάνου τὸ σκῆπτρον, καὶ τῶν δορυφόρων τοὺς ῥαβδοφόρους (ſc. προσθεὶς) *qui purpuræ & coronæ ſceptrum, & ſtipatoribus apparitores, faſces præferentes, addidit.*

III. De calceis rubris & gemmatis.

Præter diadema, Imperatores Romani, ſeneſcente Imperio, etiam calceos rubros auro gemmisque ornatos inter inſignia imperialia adhibuerunt, reges orientis, quibus præcipue iſte cultus familiaris erat, imitati. Quamquam & antiquiſſimis Italiæ regibus, & urbi Romanæ, uſum rubrorum calceorum non penitus ignoratum fuiſſe, (nam patricii olim & triumphantes eiusmodi utebantur, & Iul. Cæſar, ut ex Albanis regibus per Iulum ſe ortum teſtaretur, altioribus, & rubri coloris gauiſus Dioni dicitur,) Balduinus * pridem docuit. Heliogabalum uero primum fuiſſe omnium puto, qui in calceamentis gemmas, & quidem ſculptas haberent, quod riſum omnibus mouit. * * Qui poſt eum regnarunt principes, prope omnes, præter Gallienum, balteo gemmato & gemmatis caligis (nam & hæ inter calceamenta ſunt referendæ:) * * * utentem, * * * * a barbaro eiusmodi ornatu abhorruerunt. Verum Diocletianus, ſicut diadema affectauit, ita etiam in calceis magnifice exornandis, a regibus Perſarum uinci noluit. Eutropii locum paulo ante dedimus, alterum nunc adducamus Aurel. Victoris. * * * * * *Sed poſtquam,* ait,

* In libr. de Calceo ueterum c. 10.
* * Lamprid. in Heliogab. c. 23.
* * * Iul. Nigronus de Caliga ueterum. c. 2.
* * * * Treb. Pollio in Gallien. c. 16.
* * * * * de Cæſaribus c. 39.

ait, *odore tabeſcentium membrorum ſcelus* (Apri.) *proditum eſt, ducum conſilio tribunorumque, Valerius Diocletianus, domeſticos regens, ob ſapientiam deligitur, magnus uir, his moribus tamen: quippe qui primus ex auro ueſte quæſita, ſerici ac purpuræ gemmarumque uim plantis concupiuerit: quæ, quamquam plus quam ciuilia, timidique & affluentis animi, leuia tamen præ ceteris: namque ſe primus omnium, poſt Caligulam, Domitianumque, Dominum palam dici paſſus, & adorari ſe, appellarique uti Deum.* Et ab eo tempore calceos e rubricatis pellibus confectos auratosque & gemmatos inter inſignia, quibus Auguſti & conſortes imperii Cæſares honorarentur aſſumtos eſſe, ualde uerosimile eſt. Eiusmodi de calceis etiam intelligo, quæ Ammianus de Gallo Cæſare ſcripſit: * *nondum apud Noricum exuto penitus Gallo, Apodemius - - raptos eius calceos uehens, equorum permutatione ueloci - - præcurſorius index, Mediolanum aduenit; ingreſſusque regiam, ante pedes proiecit Conſtantii, uelut ſpolia regis occiſi Parthorum.* Magis uero perſpicua ſunt, quæ de Maximo, tyranno olim dixit Latinus Pacatus: * * *quisquis purpura quandoque regali ueſtire humeros cogitabit, Maximus ei exutus occurrat:*

I 2 quis-

* Lib. XV. c. 1.

* * In Panegyrico c. 45.

quisquis aurum gemmasque priuatis pedibus optabit, Maximus ei plantis nudus appareat: quisquis imponere capiti diadema meditabitur, auulſum humeris Maximi caput, & ſine nomine corpus adſpiciat. Diuiſo poſt Theodoſium imperio, purpurei calcei, in Oriente nunquam non partem amictus Auguſtalis conſtituerunt, & nonniſi filiis Imperatorum maioribus, quos, neglecto Cæſaris axiomate, & ipſos Imperatores ſalutabant, in ſignum dignitatis & futuræ ſucceſſionis dati ſunt. Poſterius diu ante me probarunt Iul. Cæſ. Bulengerus, * Benedictus Balduinus, * * &, quem citauit Fabricius in Bibliographia, * * * Cangius ad Villeharduini Hiſtoriam imperii Conſtantinopolitani ſub Francis; prius ex loco conſtat poëmatis Corippi. * * * * Ita uero apparatum ueſtium Auguſtarum canens, inter alia:

Purpureo ſuræ reſonant fulgente cothurno,
Cruraque puniceis induxit regia uinclis,
Parthica Campano dederant quæ tergora fuco,
Qui ſolet edomitos uictor calcare tyrannos
Romanus princeps, & barbara colla domare,
Sanguineis prælata roſis, laudata rubore,

Lecta

* de Imperatore L. II. c. 7.
* * Lib. alleg. c. 12. 13.
* * * Cap. XVIII. §. 10.
* * * * Lib. II. u. 104. ſqq.

Lectaque pro ſacris tactu molliſſima plantis.
Auguſtis ſolis hoc cultu competit uti,
Sub quorum eſt pedibus regum cruor; omne profecto
Myſterium certa rerum ratione probatur.

Quid? ſandalia aurata & gemmata, quibus Germanorum Imperatores hodie in ſolennibus inaugurationis induuntur, quibusque alii Europæ reges in ſacris coronationis ſuæ utuntur, originem, omnia ab antiquis illis principum Romanorum calceis traxiſſe, facile affirmauerim; idque fruſtra probare allaborarem iis, qui ſciunt aulam Conſtantinopolitanam ante aliquot ſecula fuiſſe, cuius mores, & cultum, & ſplendorem reliqui Occidentis reges, ut nouiſſimo æuo Burgundicæ & Hiſpanicæ, omnes æmulati, pauci adſecuti ſunt. In eodem imperio Græco-Romano alia deinceps acceſſere inſignia, & prærogatiuæ filiis, qui ſucceſſores deſignati, & Imperatores ſeu Deſpotæ, aut Protonobiliſſimi appellati ſunt, data, præter ea, quæ ſub antiquis principibus obtinuerunt, e. gr. uſus encauſti ſacri, aureæ bullæ, & alia, quibus tamen nos, qui antiquæ ſaltem Cæſareæ dignitatis rationem illuſtrare conſtituimus, exponendis, omnino ſuperſedemus.

IIII. De igne ſacro.

Ignis quoque ſacer, ſiue lampas ardens Imperatoribus in publicum prodeuntibus præferri ſolitus, inter inſignia principalis maieſtatis a temporibus Antoninorum eſſe cœpit; quem ritum a Perſis, auctoritate Xenophontis *, uiri ſummi, Iuſt. Lipſius, Io. Henr. Boeclerus, & alii repetierunt. Et eo quidem ſummæ alias maieſtatis ſigno Auguſtas, & uiduas Imperatorum uſas eſſe, ex Herodiano ** notum eſt. De filiis Auguſtorum & Cæſaribus, apponam uerba Viri olim clariſſimi, Andr. Chriſt. Eſchenbachii, qui ignem iſthunc erudito commentario magis adhuc illuſtrauit: *** *Sed & his*, ait, *hanc dignitatis prærogatiuam conceſſam fuiſſe, probat M. Antonini Philoſophi exemplum, qui ab Hadriano in familiam receptus, a M. uero Antonino Pio adoptatus fuit. De cuius ſingulari plane moderatione Dio Cocceianus fol. DCCXXII. edit. Henr. Valeſii refert, quod quoties ſine patre in publicum prodiret, penulas fuſci coloris induerit, neque ignem principibus præferri ſolitum, uſurpauerit.* Καὶ τῷ φωτὶ τῷ προηγουμένῳ ὐκ ἔςιν, ὅτι καθ' ἑαυτὸν ἐχρήσατο; *uerba ſunt auctoris.*

Si

* Lib. VIII. Cyropediæ.
** Lib. I. c. 8.
*** Altdorfi. a. 1692.

Si quis igitur quærat, qua in re faſtigium Auguſti diſtinguatur a Cæſareo, ego quidem diſcrimen iſtud reſpondeo, non tam in ratione ueſtimentorum diuerſa, aut diadematis gerendi iure, quam in diſpari nomine, & inæquali potentia poni debere, ob quam Iulianus Cæſar tantum ſpecie tenus purpuratum ſe eſſe dixit, * & Ammianus ſæpius Cæſares apparitores Auguſtorum nominauit. Quamuis enim ad ſocietatem imperii electi, & omnia communi nomine geri dicerentur, nihil tamen exercitii in aliqua parte poteſtatis imperatoriæ, niſi e mandato Auguſti ſui habuere. Nihil igitur per ſe arbitrii in legiones, prouincias, ærarium, dignitates conferendas, quo facile potuiſſet fieri, ut aucti uiribus, uoluntatem Auguſti inſuper haberent. In iis, quæ honorem tantum, ſine potentia darent, omnino æquum obtinuit conſortium. Inde prærogatiuæ Cæſarum, ut numos ſua imagine ſignarent, edictis ſuum cum Auguſto nomen præſcriberent, inſignibus iisdem uterentur, ſtatuas iuxta eos haberent. Auguſti etiam, ut Cæſares ſubditi eſſe imperatoris deſinerent, tantum abeſt ut unquam concederent, ut potius inobedientes, aut poteſtate abutentes concredita, degradatione, exilio, morte mulctarent.

V. Faſtigii Auguſtalis & Cæſarei differentia in quo conſtituenda?

Quan-

* Ap. Ammianum L. XX. c. 12.

VI. Priuilegia dignitatis Cæſ. & quidem de maieſtate Cæſarum perſonali.

Quantum itaque ad prærogatiuas huius faſtigii, & iura maxime illuſtria eius attinet, merito huc referimus maieſtatem, quam tribuebat perſonalem, (liceat hoc uocabulo uti,) ſeu quod idem eſt, ſanctitatem, & conditionem omnem priuatam ſortem ſuperantem, ut, qui in perſonam eiusmodi hominis peccaſſent, ii maieſtatis lege tenerentur. Nimirum ab initio ſtatim urbis, leges latæ fuerunt de maieſtate reipublicæ Romanæ, ulturæ iniurias quascunque, aut populo, aut magiſtratibus, aut dignitati, aut ſecuritati urbis factas. Eas poſt L. Sullam, & C. Iul. Cæſarem, renouauit Auguſtus, omnesque eos maieſtatis reos pronuntiauit, qui quicquam, uel contra rempublicam, uel aduerſus principem admiſerant, ſiue facto, ſiue libello famoſo feciſſent iniuriam. * Eandem legem non ſolum reduxit, ſed & aſperiorem Tiberius reddidit, & ad ipſa dicta, quæ impunia antea erant, protulit. Neque uero, qui principem ipſum dicto aut facto læſiſſent ſolum, ſed & ii etiam, qui matrem, uxorem, liberos, contumelia affeciſſent, rei maieſtatis habebantur. Sic Apuleiam Variliam, ſororis Auguſti neptem, quia probroſis ſermonibus Auguſtum ac Tiberium, & matrem eius illuſiſſet, Cæſarique connexa adulterio tene-

re-

* v. Heineccius Antiq. Iuris, Lib. IIII. tit. 18.

retur, maieſtatis delator arceſſiuit. * Equidem Tiberius maieſtatis crimen diſtingui poſtulauit, damnarique, ſi quæ de Auguſto irreligioſe dixiſſet, neque in ſe iacta ad cognitionem uocari uoluit; interrogatus etiam a Conſule, quid de his cenſeret, quæ de matre eius locuta ſecus argueretur, reticuit, dein proximo Senatus die, illius quoque nomine orauit, ne cui uerba in eam quoque modo habita, crimini forent; liberauitque Apuleiam lege maieſtatis: uerum quis non uidet principem plus tribuiſſe in eo caſu odio matris, & ſimulationi, quam iuſtitiæ cauſæ, aut propinquitati mulieris? Auguſtus ipſe, adulteros filiæ ac neptis, morte, aut fuga puniuit. *Nam culpam inter uiros ac feminas uulgatam, graui nomine læſarum religionum ac uiolatæ maieſtatis appellabat, clementiam maiorum ſuasque ipſe leges* (de adulterio ſcill. quibus relegatio in inſulam, & mulcta dimidiæ, aut tertiæ partis bonorum proponebatur) *egreſſus eſt*, teſte Tacito. * * Quid? ipſo quarto poſt Chriſtum natum ſeculo, Cæſares non amplius in dignitate, ſed in maieſtate conſtituti dicebantur, ſtilocuriali & publico, * * * ſimplici & non affectata tantum dictione gaudente. Neque uero opus eſt cre-

K dere,

* Tacit. Annal. II. c. 50.
* * Annal. L. III. c. 24.
* * * Treb. Pollio in Gallienis. c. 14.

dere, hanc Sanctitatem obueniſſe iis e tribunitia poteſtate; inhærebat ea nomini & dignitati Cæſaris, prodebatur inſignibus maieſtaticis, purpura, diademate, &c.

VII. Ea tamen minime exemti fuerunt ſuprema poteſtate, & iudicio Auguſtorum.

Interea ſi quis putaret, maieſtatem, quam perſonæ Cæſaris tribuo, exemiſſe eum poteſtate, & iudicio Imperatoris ſui Auguſti, uehementer erraret. Falſum hoc eſſe paulo ante aſſerui; nunc exempla & teſtimonia auctorum proponam. Et quidem certum eſt, cum Cæſares arbitrio ſolius Auguſti fierent, non ſolum eorum dignitatem eiusdem uoluntate abrogari rurſus potuiſſe, ſed &, ſi ſuper criminibus, a Cæſare commiſſis quæreretur, Auguſtum unicum competentem, & perpetuum iudicem fuiſſe. Extat luculentus Spartiani locus de Aelio Vero, quem Hadrianus ob miſeram ualetudinem a familia imperatoria & republica ſummouere, * aliumque Cæſarem creare, in animo habuit; item alius Vopiſci de Carino, quem pater, ob luxum & impotentiam, occidere, & Conſtantium, qui poſtea Cæſar eſt factus, in locum eius ſubrogare conſtituit. ** Seuerus etiam, Albinum, qui tamen dignitatem ſuam, non ſicut alii, gratia Auguſti, ſed uirtute pacti poſſidebat, accuſauit, ὡς βασιλικώτερον ἐντρυφῶντα τῷ τοῦ καίσαρος ὀνόματι,

* in Ael. Vero, c. 3. 4.
** in Carino, c. 17.

ἰδμᾶι, i. e. *quod nimis impotenter, nimisque moleſte nomen Cæſaris uſurparet*, & tandem hoſtem declarauit. * Criſpum, Conſtantini M. filium, iudicio patris occidiſſe narrat * * Aur. Victor; de Gallo autem omnia notiſſima ſunt. Idem qui Gallum occiderat, Imperator Conſtantius, a Iuliano etiam, cum a militibus Auguſtus ſalutatus eſſet, popoſcit, καταςάντα ἰδιώτην ἑαυτὸν τῇ προαιρέσει τοῦ βασιλέως ἐκδοῦναι. * * * ſ. *priuatæ uitæ reſtitutum imperatoris ſe uoluntati permittere.* Imo Cæſares inobedientes dicto Auguſti, pro rebellibus habendos, & læſæ maieſtatis Auguſtæ reos eſſe, ipſe olim aſſeruit Gallus, in oratione ad milites, ab Ammiano Marcellino in libros hiſtoriarum relata. * * * * Nimirum ex natura ſummæ poteſtatis fluit, ut quicunque in imperio uiuunt, ſint ſubditi principis. Hinc & hodie in omnibus regnis filios & uxores regum, lege ſubiectionis, more priuatorum, teneri, & ab iis iudicari cernimus, non ſolum quod patres & mariti, ſed & quod principes & domini ſunt. Aliud tamen in Rege Romanorum in noſtro imperio obtinet. Is quemadmodum maieſtatem ſuam liberis Electorum ſuffragiis debet, ita quoque, ſi uel contra ſalutem Imperatoris,

 uel

* Herodian. L. III. c. 5. 6.
* * de Cæſarib. c. 41.
* * * Zoſimus L. III. c. 9.
* * * * Lib. XIIII. c. 23.

uel ſecuritatem imperii aliquid commiſerit, non cogitur iudicium ſolius Imperatoris experiri, Electoribus Imperii tunc æquis cum Imperatore partibus in cognoſcendo crimine gaudentibus. Præterea, ex omni patria poteſtate exit filius Imperatoris, ad faſtigium regis Romani euectus; idque moribus Germaniæ antiquiſſimis exacte conuenit. Eodem modo filium principis, ſi terras cum omni ſuperioritate in feudum ab Imperatore accipiat, ac ſeparatum a patre conſtituat regimen ab omni nexu filiali ſolui ſeu emancipari notum eſt; & ante hos quatuor modo annos ſolennis eiusmodi emancipationis exemplum in Carolo, regis Hiſpaniarum filio, uirtute Tractatus Viennenſis in Hetruriam, ad exigendum homagium populi euentuale, abeunte, editum legimus in nouis & ephemeridibus politicis.

VIII. De iure imaginem ſuam monetæ imprimendi, Cæſaribus competente.

Inter eximia iura illa, quibus dignitas Cæſaris ab omni alia priuata diſtinguitur, merito etiam pono, quod moneta publica imaginibus Cæſarum inſigniri conſueuerit. Ius monetæ cudendæ & facie ſua ſignandæ Imperatores inde a Iulio Cæſare, * ceu notam ſummi imperii ſibi uindicauerunt, ita tamen, ut primis monarchiæ temporibus Senatui etiam permiſſum eſſet, æneos numos, non æque argenteos & aureos facere,

* Dio L. XXXXIII. p. 159. cf. tamen Iac. Perizonius de uariis antiq. numis, in triade diſſertat. n. III. p. 155. ſqq.

cere. * Attamen & hæc facultas ei poſtea ademta eſt, quamquam quis primus abſtulerit, dici non poſſit. Equidem iam ab Auguſti ætate, præter uultus Imperatorum, conſpiciuntur in numis imagines uxorum, filiorum, filiarumque, concubinarum, matrum quoque ac ſororum, illuſtrium denique interdum uirorum; ſed non eo modo, quaſi id iis neceſſario deberetur, aut inſigne, aut priuilegium dignitati & perſonæ eorum annexum, quemadmodum in Cæſaribus poſt Traiani tempus, eſſet, ſed ut amore & gratia principum, aut decreto, precibusque Senatus is honos illis obueniſſe dicendus ſit. Cæſares igitur, ſtatim atque ad faſtigium ſecundi in republica regenda gradus euocati eſſent, in communionem iuris regalis monetæ peruenerunt, & nomen & effigiem ſuam in monetarias officinas, ut numis inderetur, miſerunt. Quod, ut teſtimonio aliquo confirmetur claro, & omni exceptione maiori, prouoco ad numos, in una parte Auguſtorum aut Cæſarum facie ſignatos, in altera uerba exhibentes, SACRA MONETA AVGG. ET CAESARVM NOSTR. ſiue SAC. MON. VRB. AVGG. ET CAES. NOSTR. (Sacra moneta urbis Auguſtorum & Cæſarum noſtrorum) Cuius generis, cum enim præcipue percuſi fuiſſent,

 quan-

* Wagenſeil de re monetali uet. Rom. c. 14.

Digitized by Google

quando ex edicto principum res monetaria reformata eſſet, * neſcio an aliud quicquam poteſtatem Cæſarum in moneta publica, una cum Auguſtis curanda & tuenda, melius prodat. Ita Seuerus, cum Albinum in nomen Cæſaris aſſumſiſſet, ſtatim numiſma nomine & imagine eius fieri iuſſit. ** Diadumenianus etiam Macrini Auguſti filius, Cæſar a patre & exercitu dictus, in numis comparet plurimis. Lampridio enim, qui eum Auguſtum, una cum patre ſalutatum fuiſſe ſcribit, propterea non attribuo fidem, quod in numis *** & lapidibus **** florente Macrino factis, itemque ab Herodiano ***** nunquam Imperatoris Auguſti, ſed Cæſaris tantum, & Principis iuuentutis nomine inſignitur, Eiusmodi uero monumentorum auctoritatem, præferre omnino debemus ſcriptori integro ſeculo recentiori. Lampridius quidem aliud refert factum, ****** quod cum pri-

* Harduinus de numis ſeculi Conſtantiniani, inter Opera eius ſelecta, p. 451. 452.

** Herodian. L. II. c. 15. Catalogum eorum uideſis ap. Harduinum, in Hiſt. Aug. ex numis reſtit. inter Opp. p. 797. ſq.

*** Apud Patinum, inter numiſmata Imperatorum, p. 425. apud Begerum Theſ. Brandenburg. p. 709. Erizonem p. 462. Occonem p. m. 397.

**** Ex. gr. apud Gruterum, P. CCLXXI.

***** Hiſt. L. V. c. 4. extrem.

****** In Diadumen. c. 2.

primum legerem, parum abfuit, quin ſententiæ eius accederem; nempe, monetam occiſo Caracalla, ſtatim Diadumeniani cognomine percuſſam fuiſſe, Macrini usque ad iuſſum Senatus dilatam. Verum mox reſipui, cauſa huius rei perſpecta. Macrinus enim, eodem teſte, * ut militibus, qui Imperatorem rurſus Antoninum poſcebant, & filium eo nomine appellabant, placeret, ſe tutorem magis filii, cuius ob nomen Antonini proprium uideri imperium uolebat, quam principem geſſit, *non tam ſe ad imperium perueniſſe, qui eſſet ſecundus imperii, quam quod Antoniniani nominis pater factus eſſet*, gloriatus. Hinc etiam monetæ auſpicatum potius filii nomen, quam ſuum inſcribi uoluit, neque tamen recuſaturus eam ſummæ poteſtatis partem, ſi patres ultro ſibi decreuerint; humanius, & ad conciliandum Romanorum fauorem maxime idoneum eſſe ratus, accipere, quod iure ſuo ſibi ſumere poſſet, uoluntate & gratia Senatus. Neque Senatum in decernendis Macrino numis uultu eius & nomine inſignitis, cunctatum fuiſſe, facile probant ii, quos apud Patinum & Begerum literis S. C. notatos reperimus. Cæterum omnes Imperatores, poſtquam ad imperii culmen ſunt elati, nihil prius aut antiquius habuerunt exercitio iuris ſignandi numos nomine & imagine ſua. Nam ſicut

* Ibid. c. 7.

ſicut ſummæ maieſtatis eſt definire ualorem numi, quo, tanquam arctiſſimo uinculo, gentes, nec lingua nec imperio coniunctæ, inter ſe continentur, & munire eum reuerentia principalis nominis & uultus contra fraudes improborum; ita etiam nullis literis, nullisque edictis nouus Romanorum princeps prouinciis & populis longinquitate regionum disiunctis, citius innoteſcere, atque ad cultum ſui melius eos excitare * potuit, quam ſi expreſſus in metallis conſpiceretur, quæ uti mira uelocitate reconditos quosque angulos orbis peragrant, ita ſummo ab omnibus pretio habentur. Hinc Veſpaſianus, ſtatim atque imperium occupauiſſet, aurum atque argentum ſuo nomine ſignatum Antiochiæ feſtinaſſe dicitur Tacito, ** & Vopiſco, *** Firmus, Aegypti ſub Aureliano tyrannus, purpura uſus, & percuſſa moneta Auguſtus uocitatus. Milites quoque, Commodo Imp. de inſidiis, quibus Perennii Præfecti prætorio filius uitam eius & imperium peteret, perſuaſuri, numos imagine Perennii inſignitos attulerunt, certo argumento nihil non auſurum fore eum, qui tam illuſtre maieſtatis ius inuadere non dubita-

* Cf. ea, quæ de more adorandi Imperatores in numis tradit Magnif. Dn. Rinkius, Patronus noſter in primis colendus in libro de vet. Numiſmatis potentia & qualit, c, XIII, n. 8.

** Hiſtor. II. c. 82.

*** in Firmo. c. 2.

bitauit. Claudianus pariter, Ruffinum dum affectati imperii incuſat, inter alia iuſſiſſe ſcribit, *

- - quod poſt uota daretur
Inſcribi propriis aurum fatale figuris.

Sed deprehenderunt ſtudioſi rei monetalis ueteris diſcrimen quoddam in numis Auguſtorum, & Cæſarum ſ. ſucceſſorum deſignatorum. Namque Auguſti nomen alteri Cæſaris nunquam in his addi affirmant, neque coronis e lauro Cæſarum capita facile, ſicut Auguſtorum redimita apparere. ** Et priori quidem de Auguſti titulo ommiſſo opinioni, omnino aſſentior; neque etiam numum illum Neronis, & Octauiæ uxoris, cum epigraphe; NERO CLAVD. CAES. AVG. IMP. OCTAVIA. AVG. ante percuſum, quam Imperator poſt Claudium eſſet factus, puto, ſecus ac fecit Iobertus, in Introductione ad notitiam numiſmatum. *** Alteram etiam non in uniuerſum reiiciendam eſſe, patebit iis, quibus numiſmata principum ueteris Romæ ſæpius tractare licet; quamquam ſicut interdum imagines Auguſtorum ſine omni ornamento capitis apparent, ita etiam Cæſares lauro, & diademate,

L co-

* Lib. II. in Ruffin. u. 341.
** Wagenſeil. l. c. c. 22.
*** Cap. VIII. p. m. 247. cf. Tab. adiuncta K. n. 14.

coroniſque radiatis inueniantur. * Illud etiam notari meretur, quod Iobertus, ** Harduinus, *** &, uti coniicio, Nic. Toinardus **** tradunt, annos regiminis Cæſarei uix unquam exprimi in eorum numis; extare potius, qui, quamuis Cæſaris alicuius imaginem & nomen contineant, annos tamen imperii Auguſti eius, a quo ille adoptatus eſt, adſcriptos habent. Ponam uerba Harduini: ΓΑΛ. ΜΑΞΙΜΙΑΝΟϹ Κ. Γαλέριος Μαξιμιανὸς Καίσαρ, *capite radiato - - L. A* (Λυκάβαντος) *anno primo Auguſtorum; nam anni Cæſarum nunquam in numis notantur. Exempli gratia, ante annos circiter LX, quam Diocletianus iniret imperium, Seueri Alexandri, adhuc Cæſaris, numus cuſus eſt, qui in cimelio Dn. Foucault adſeruatur*, ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟϹ ΚΑΙϹΑΡ, *capite nudo, quia Cæſar adhuc, nec dum Auguſtus; & tamen L. E. anno quinto, Auguſti nimirum illius, ſub quo Cæſar fuit, hoc eſt Antonini, quem Heliogabalum uocarunt. Multo antea ſub Veſpaſiano, numus eſt TITI. Imp. cum* ΕΤΟΥϹ Η. *anno octauo, nempe Veſpaſiani patris. Deinde ſub Antonino*

Pio

* Iobert. p. 247. 336. & ap. Harduinum & alios numiſmatum collectores paſſim.

** Lib. cit. p. 479.

*** De numis ſec. Conſtantin. p. 445.

**** In diſſ. de annis Commodi in numis.

Pio, e gaza regia numus æreus, Μ. ΑΥΡΗΛΙΟϹ ΚΑΙϹΑΡ, *capite nudo, uultu iuuenili; (in auerſa)* ΜΕΝΔΗϹΙΟϹ *Iupiter. L. H. anno octauo Antonini Pii nimirum. Item alius eiusdem Aurelii Cæſaris e Cimelio Bignoniano. L.* ΔΩΔΕΚΑΤΟΥ, *anno duodecimo Antonini Pii: quo anno Nilus excreuiſſe in eodem numo dicitur ad cubitos* ΙϚ. *ſedecim. Denique Antonini Seueri filii, qui Caracalla dicitur, numus eſt argenteus geminus,* ΜΗΤΡΟΠ. ΚΑΙϹΑΡΕΙΑ. ΕΤ. ΙΒ., ΕΤ. ΙΕ., & ΕΤ. ΙϚ. *anno XII. anno XV. & anno XVI, non ipſius ſane, ſed Seueri patris. Sic in numo Valeriani iunioris Aug. inſcripto* ΑΥΒΕΙΤΩΝ. *e theſauro regio, annus eſt IA, undecimus, non Valeriani certe, ſed Gallieni. Itaque primo Diocletiani, & Maximiani, Auguſtorum, anno, Galerius Maximianus, atque adeo Flauius Valerius Conſtantius, Cæſar fuit Cæſares nimirum hoc anno S. P. Q. R. adlegit ætate prouectos, bello gerendo per ſe idoneos, ac rei publicæ conſtituendæ, eosdemque alteri e primariis Auguſtis, Maximiano Herculeo ſcill. affinitate coniunctos.* * Verum, quod Harduinus de numis Cæſarum annotauit, idem

L 2 in

* Hæc ultima hypotheſin ſapiunt Harduini, de ſummo imperio Auguſtis per quinquennia & decennia a S. P. Q. R. locato, & de cognatione & affinitate omnium Imperatorum, quam nulli licet fundamento hiſtoriæ innixam, operoſe paſſim in Operibus allegatis defendit.

in alio Liuiæ uidi. * Hic enim effigiem eius in una parte, in altera coronam querceam Auguſti habet, & annum imperii XXXVIIII, L. ΛΘ intra eam expreſſum; nec in aliis pluribus uxorum & filiarum Imperatorum numis, eiusmodi quid deprehendi, dubito.

VIIII. Nomen Auguſti & Cæſaris legibus & edictis imperialib. præſcriptum.

Iuri, de quo egimus, inſigniendi nomine & uultu ſuo numiſmata, affine eſt alterum, quo gaudebant Cæſares, nomen ſuum, cum Auguſto, præfigendi legibus, edictisque imperialibus; ita ut communi utriusque uoluntate emanata uiderentur, quamuis ſolus Auguſtus, pro maiori potentia ſæpius ſtatueret. Qui exempla deſiderant, utrumque euoluant Codicem. In Iuſtinianeo in præſenti occurrunt lex VI. Tit. ad SCtum Macedonianum, L. XV. de pactis, L. XI. de Transactionibus, L. V. VI. VII. VIII. de iuris & facti ignorantia. Interdum tamen, ſi duo aut plures eſſent Cæſares, alterius nomen omiſſum in inſcriptionibus, legum uidemus. Exempli gratia in L. XI. Cod. qui dare tutores uel curatores poſſunt, ubi Criſpi Cæſaris tum florentis, & L. II. de ſponſal. in qua reliquorum Conſtantini M. Filiorum, Cæſarum, nomina deficiunt. Cogitantem de cauſa, ſubit coniectura, ideo unius alteriusque nomen non legi, quod cum lex eſſet lata, in aula

* Apud Begerum lib. cit. Vol. III. p. 90.

la Auguſti forte non eſſent præſentes. Coniecturam dico; quod ſi aliquis corruptioni, quæ plurimas inſcriptiones & ſubſcriptiones Codicis inuaſit, imputare mallet, me non haberet ualde contradicentem. Subſcripſere etiam Cæſares una cum Auguſtis, interdum quoque ſoli, mandato illorum, diplomatibus & epiſtolis; idque ex uerbis Nazarii patet, * ubi de Conſtantino iuniore; *& licet*, inquit, *ætas adhuc reuocet ab imitatione uirtutis paternæ, iam tamen ad pietatem eius natura deducit: iam maturato ſtudio literis habilis; iam felix dextera fructuoſa ſubſcriptione lætatur. Delegat multa indulgentiſſimus parens, & quæ per te concedit, referri ad gratiam tuam mauult.*

Statuas quoque & imagines Cæſarum luſtrabimus. Quæ cum in urbibus, pariter ac in caſtris, ſimul cum ſimulacris Auguſtorum collocarentur, lus deprehendo ſingulare huius faſtigii, & nobiliſſimum. Nimirum Imperator ſtatim ac quis electus eſſet, imagines ſuas laureatas non ſolum Romam, & ad alias clariſſimas ciuitates, uerum etiam ad exercitus, ut obedientiam & ſtudium ſuum cultu erga eas declararent, & Auguſtum, ſi quis alius adhuc in orbe adeſſet, ** mittere ſolebat. Si du- *X. Imagines Auguſtor. & Cæſarum ſimul collocatæ.*

* In Panegyrico Conſtant. M. dicto c. 37.
** Philoſtorgius Hiſt. Eccleſ. L. XII. c. 12.

duces igitur copiarum eas honorifice ſuſciperent, & alter Auguſtus cum ſuis imaginibus poni & oſtendi pateretur, hic quidem in ſocietatem imperii nouum principem aſſumſiſſe, illi, dominum & imperatorem ſuum agnouiſſe uidebantur. Hoc modo Conſtantini M. imaginem Galerio, Auguſto orientis, allatam tradit Lactantius,* eumque, poſtquam multum deliberaſſet, tandem ſuſcepiſſe, atque purpuram Conſtantino miſiſſe; ut ultro adſciuiſſe in ſocietatem uideretur. Theodoſius etiam, cum Maximus, Gratiani parricida, fœdus & ſocietatem ab eo poſtularet, ſtatuarum ſecum, & nominis imperatorii participem fecit, & Cynegium præfectum prætorio, in Aegyptum ablegatum, imaginem Maximi conſpiciendam Alexandrinis exhibere iuſſit.** Eidem Lactantius auctor eſt, Diocletianum & Maximianum Herculeum ſimul plerumque pictos fuiſſe, & Maxentium, facta amicitia cum Maximino Daza, eius imaginem Romæ ſimul locaſſe.*** Conſtantinus Zoſimo **** Romam miſiſſe dicitur imaginem ſuam, publice oſtendendam populo, nec Maxentium, qui eodem tempore purpuram in urbe induerat, ut ſua in Africam, &

Car-

* De mort. Perſec. c. 25.
** Zoſimus L. IIII. c. 37.
*** c. 42. 43.
**** Lib. II. c. 9.

Carthaginem perferretur, minus ſolerter curaſſe deprehendo. * Earum formam perſpicue deſcripſit uir ſummus, Iac. Gronouius. ** *Erant*, inquit, *hæ imagines ita effictæ, ut in ſummitate haſtæ efferrentur a gerulis, mundo ueſtitis, auroque ornatis, & infra uictoriæ resque bello præclare geſtæ deſcriberentur. Præcedebant tubicines, & militum cateruæ. Chryſoſt. Serm. LX. Excipiebantur autem a populis feſtum diem celebrantibus ſummo applauſu, lætisque acclamationibus.* Atque ad hoc imaginum conſortium ab Auguſtis aſſumtos fuiſſe Cæſares certum eſt. Seuerum Imperatorem Herodianus refert Albino, Cæſari ſuo, numos cudiſſe, & ſtatuas *** erexiſſe, & Aquileienſes militibus, poſt Maximini Thracis cædem, ut portæ ſibi aperirentur petentibus, *tanquam amicis nunc, qui pridie hoſtes fuiſſent*, ſalutandas propoſuiſſe Maximi & Balbini Augg. & Gordiani Cæſaris imagines coronis & lauro redimitas. **** Non minori honore Cæſarum imagines in caſtris afficiebantur, ubi ſignis & uexillis militaribus, paruis in orbibus affixæ, *****

tan-

* Zoſimus L. II. c. 12.
* * in diſſ. de Imaginibus principum, §. 14. add. du Freſne in Gloſſar. ſub uoce LAVRATVM.
* * * Lib. II. c. 15.
* * * * Lib. VIII. c. 6.
* * * * * Lipſius de Milit. Rom. L. IIII. dial. 3. ſq.

tanquam dii tutelares caſtrorum adorabantur. Nota ſunt omnibus, quæ de Labaro, Conſtantini M. & filiorum aureas imagines referente, habet Euſebius; * quamquam eæ alias ex argento frequentius factæ fuiſſe uideantur, ut e loco Plinii maioris ** docuit laudatus Gronouius. Gordianorum, aduerſus Maximinum electorum uultus in caſtris propoſitos, loquitur Capitolinus; *** quæ tamen uerba eius, tam de ſignis militaribus, quam de ſuggeſtu intelligi poſſunt, in quo nonnunquam imperatorum ſimulacra conſtitui, & militum & exterorum regum uenerationi exponi ſolebant, uti paſſim uidere eſt apud Tacitum. Eæ Cæſarum imagines, pariter atque Auguſtorum, quando uita & imperio priuandi eſſent, deiectæ ſunt, quemadmodum & aliæ eorum ſtatuæ infractæ & conflatæ, id quod alias citra maieſtatis læſæ periculum fieri non poterat. **** Cæterum hoc ius præfigendi ſignis effigiem ſuam nulli priuato competiiſſe, merito affirmo; neque enim tollunt regulam ea, quæ Tiberius ſingulari prorſus exemplo Seiano ſuo conceſſit, ut per theatra & fora, interque principia legionum effigies eius coleretur. *****

Quid?

* De Vita Conſtant. L. I. c. 31.
** Hiſtor. Natur. L. XXXIII. c. 3. ſect. 19.
*** In Gordianis, c. 10.
**** L. 6. 7. Dig. ad leg. Iul. Maieſt.
***** Annal. L. IIII. c. 2.

Quid? Non errabit, qui dicet, ſub Imperatoribus honorem ſtatuarum omnino ademtum priuatis fuiſſe, ut triumphorum, ſupplicationum, tropæorum, neque niſi peculiari interdum principis gratia, & quidem eius propinquis, plerumque contigiſſe. *

A Diocletiano morem, ut Imperatores adorarentur ab omnibus, qui ad eos accedebant, originem traxiſſe, Eutropio & Victore auctoribus ** nouimus. Anterioribus temporibus ſalutabantur, oſculo in os, aut manus etiam dato, uerbiſque *Aue Imperator*; *** idque officium quotidie iis matutino tempore, ab amicis, Senatoribus, præfectis prætorio, tribunis, centurionibusque præſtabatur. Adorantes autem, poſtquam immiſſi in conſiſtorium ab Admiſſionalibus eſſent, principemque adpropinquaſſent, ordinarie in genua procumbebant. Princeps ueſtis laciniam, (unde formula purpuram ſacram adorare, ****) plerumque oſculandam obtulit, interdum oſculum ipſe recedentibus impertiuit. ***** XI. Honor adorationis Augustis & Cæſarib. communis.

M Hunc

* Sueton. Calig. c. 34. Dio L. LVIII. p. 468. Tac. Annal. XIII. c. 10. Capitolin. Ant. Pio c. 5. L. 1. & 4. Cod. de ſtatuis & imaginib.

** Eutrop. L. VIIII. c. 16. Victor de Cæſar. c. 39.

*** Sueton. in Ner. c. 37. Domit. c. 12. Briſſonius de Formul. L. VIII c. 64.

**** Iac. Gothofredus ad Tit. Cod. Theodoſ. de Præpos. S. Cubic.

***** Procopius Anecdot. c. 30.

Digitized by Google

Hunc cultum Imperatori Romano non ſolum ii exhibebant, qui in aula dignitate aliqua conſpicui, uel militiæ palatinæ cuidam generi adſcripti erant, ſed & legati exterorum regum, imo reges nonnunquam ipſi. Auguſtas ante Iuſtinianum, uxorium principem, tali honore unquam affectas negat Procopius * inter τὰ νεοχμωθέντα, *nouitia illius & Theodoræ inuenta*, adorationem Auguſtæ referens. Βασιλίδα μέν τοι προσκυνεῖν οὐδαμῆ εἴθιστο. Παρὰ δὲ Ἰουστινιανόν τε, καὶ Θεοδώραν τὰς εἰσόδους ποιούμενοι, οἵτε ἄλλοι ἅπαντες, καὶ ὅσοι τὸ Πατρικίων ἀξίωμα εἶχον, ἔπιπτον μὲν ἐς τὸ ἔδαφος εὐθὺς ἐπὶ στόμα, χειρῶν καὶ ποδοῖν ἐς ἄγαν τετανυσμένων, τῷ χείλει ποδὸς ἑκατέρῳ ἁψάμενοι ἐξανίσταντο. *Auguſtæ*, ait, *nullus adorandæ mos fuit. Verum, cum in conſpectum Iuſtiniani, Theodoræque uenirent, tum alii, tum qui patriciæ dignitatis eſſent, ſtatim in faciem procumbebant, ac manibus pedibusque tenſis, utrumque principis pedem oſculo proſequebantur, ac tum abſcedebant.* At Cæſaribus, ſi non ab ipſo Diocletiano, certe a Conſtantino M. datum fuit, ut adorarentur a priuatis, eiusque teſtem habeo Libanium in Βασιλικῷ ſiue Panegyrico in Conſtantium & Conſtantem ** : καὶ βουλη-

θεὶς

* Loc. cit.

** Reddo locum, qualem accepi a Caſp. Barthio in Commentar. ad Claudian. III. Conſ. Honorii. p. 520.

θεὶς (ὁ Κωνςαντῖνος) τὺς παῖδας ὐκ ἐν φαυλοτέροις τὰ μείζω λαμβάνειν, ἀλλ᾽ ἐν ἀμείνονι σχήματι τὰ σεμνότερα μανθάνειν, περιβάλλει μὲν αὐτὺς ἐσθήματι, βασιλείας συμβόλῳ, κηρύττει δὲ κήρυγμα, καὶ τοῖς μαχίμοις, καὶ ταῖς πόλεσιν, ὅτι παρῆλθον εἰς τὴν ἀρχὴν ἐκείνυ νεύματι, καὶ χρὴ καὶ τύσδε προσκυνεῖν. *Hic (ſc. Conſtantinus M.) quod filios in priuata & humili ſorte conſtitutos altiora accipere nollet, ſed illuſtri ſpecie quadam ornatos ea, quae maieſtatem decent, addiſcere, cinxit ueſte, imperii inſigni, deinde militibus, & ciuitatibus, eos nuntiauit auſpiciis ſuis ad imperium perueniſſe, ideoque adorari impoſterum debere.*

De uxoribus etiam Cæſarum quæ dicamus, hiſtoria ſuppeditat. Eæ dignitatem uiri ſequebantur; hinc & priuilegia obtinuere ea, quæ perſonam Cæſaris concernebant, & in feminas cadere poterant. Non immorabimur iis, quæ de ſanctitate dici poſſent, matrimonii uirtute, ipſoque iure, non Senatus decreto aliquo iis proueniente, uti Liuiæ olim atque Octauiæ, antequam Cæſar Octauianus rerum adhuc ſolus potiretur, data legitur *; neque de cultu earum tradam. Videamus, qua ratione iis titulus Auguſtæ in numis & ab auctoribus tribuatur. Auguſtæ nomen poſt mortem Cæſaris Octauiani

XII. Vxores Cæſarum num Auguſtæ ſalutatæ fuerint? Auguſtorum in nuptiis Cæſarum dirigendis auctoritas.

M 2

* Dio, L. XXXXVIIII. p. 379.

ni Auguſti demum auditum fuit, & Liuiæ, quam heredem nominis Iulii, & trientis bonorum ſcripſerat, adulatione Senatus inditum. * Ex quo ſequitur, uenerabile illud cognomentum non eſſe habendum pro connubii effectu eiusmodi, quali Caia audiebat, quæ Caio in manus conuenerat, quemadmodum Alexander ab Alexandro ** olim ſibi perſuaſit: ſingulari principis gratia & decreto opus erat. Loquuntur eam rem exempla uxorum principum legitimarum, aut nunquam, aut aliquo ſaltem poſt celebratas nuptias tempore titulo Auguſtæ ornatarum. Claudius Imperator, ſi Dioni credimus, *** (in numis enim AVGVSTA ſæpius appellatur,) Meſſalinam Auguſtam ſalutari non eſt paſſus; nec Agrippinam **** niſi integro anno poſt, quam uxor eius eſſe cœpiſſet. Nero quoque Poppæam, quam deperibat, non ſtatim Auguſtam, ſed cum filiam ei peperiſſet, demum nominauit. ***** Domitianum uxorem Domitiam, ex qua in ſecundo conſulatu ſuo filium procreauerat, altero anno conſalutaſſe Auguſtam, ſcribit Suetonius. ****** Pertinacis filium

* Tacit. Annal. L. I. c. Dio, L. LVI. p. 410.
** Genial. Dier. L. I. c. 2.
*** Lib. LX. p. 462.
**** Tac. Annal. XII. c. 26.
***** Tac. Annal. XV. c. 23.
****** in Domitiano c. 3. cf. nota Sam. Piciſci.

filium Senatus Cæſarem appellauit; ſed nec uxoris Auguſtæ appellationem accepit princeps optimus, * & de filio dixit, ſi meruerit. Denique, Iulia Mammæa, num contendere potuiſſet ſuper hoc titulo cum nuru, ** ſi iure per nuptias acquiſito, pertinuiſſet ad uxorem quamlibet Auguſtorum? Porro non uxoribus ſolum, ſed & matribus, ſororibus & filiabus principum attributum inuenimus. C. Caligulam teſtatur Suetonius *** Antoniæ auiæ, quicquid unquam Liuia Auguſta honorum cepiſſet, uno Senatus conſulto congeſſiſſe. Idem auctor eſt, Claudium eidem Antoniæ nomen Auguſtæ quaſi de nouo, & carpentum, quo per circum more deorum duceretur, decreuiſſe. **** Vitellium Romam aduenientem, Capitoliumque ingreſſum, atque ibi matrem complexum, Auguſtæ nomine honoraſſe, e Tacito conſtat. ***** Lucillæ, Commodi Imp. ſorori, uiduæ L. Veri Imp. nomen Auguſtæ non ſolum dum uidua maneret, ſed etiam poſt cum Pompeiano nuberet, ſingulari gratia, relictum eſt; quam inter & Criſpinam, quam Commodus duxit inimicitias interceſſiſſe, Herodianus docet, propte-

* Capitol. in Pertinace, c. 6.
** Herodian. L. VI. c. 1.
*** in uita eius, c. 15. cf. Dio; L. LVIIII. p. 432.
**** in Claud. c. 11.
***** Hiſtor. L. II. c. 89.

rea quod nouæ Auguſtæ, uxori principis uiuentis, loco cedere coacta fuiſſet. * Druſillæ Caligulæ ſorori nomen Auguſtæ, ſaltem poſt obitum, addunt numi & lapis, qui ad eam refertur, **

VENERI CAELESTI
AVGVSTAE. SACR.
NVMMIA. C. F. DORCAS.
S. P. F. C.

De Marciana Traiani ſorore, & Plotina uxore, Plinius,* *obtulerat illis Senatus cognomen Auguſtarum, quod certatim deprecatæ ſunt, quamdiu appellationem patris patriæ tu recuſaſſes: ſeu quod plus eſſe in eo iudicabant, ſi uxor & ſoror tua, quam ſi Auguſtæ dicerentur, ſed quæcunque illis ratio tantam modeſtiam ſuaſit, hoc magis dignæ ſunt, quæ in animis noſtris & ſint, & habeantur Auguſtæ, quia non uocantur. Quid enim laudabilius feminis, quam ſi uerum honorem non in ſplendore titulorum, ſed in iudiciis hominum reponant? magniſque nominibus pares ſe faciant, etiam dum recu-*

* Lib. I. c. 11.
** adductus, a Godofr. de Peſchwitz in comment. de familia Cæſarum. p. 187.
*** in Panegyr. c. 84.

recuſant. Attamen hoc nomen ab utraque tandem fauente Traiano admiſſum, numi quampiures in earum memoriam cuſi declarant. * Anniam quoque Fauſtinam, ſororem Alexandri Seueri, numi aliquot Auguſtam dictam produnt. ** Pulcheriæ, Theodoſii II. ſororis Auguſtæ, mentionem faciunt lex allegata finalis Cod. Theodoſiani de luſtrali conlatione, & numiſmata. Didii Iuliani non uxorem ſolum, ſed filiam etiam, Auguſtarum axiomate honoratas fuiſſe, uidere eſt apud Spartianum. *** Quæ cum ita ſint, uxores Cæſarum etiam, quæ Auguſtarum appellatione refulſerunt, non alio eam, quam quo dixi modo, nempe gratia Imperatoris conſecutæ ſunt. Verum exempla earum non ita frequentia inueniuntur, neque ſuccurrit mihi in præſenti aliud, quam filiæ Conſtantini M. a magno Spanhemio **** iam pridem adductum. *Conſtantini filiæ*, ait, *Hanibalii, & deinde Galli coniugis nomen eſt in numis, FL. IVL. CONSTANTINA. AVG. quæ Philoſtorgio lucem commodant, qui eam a patre ornatam diademate & Auguſtam renuntiatam tradit, Hiſt. Eccl. L. III.*

* It. lapis ap. Gruterum, pag. CCLVII. n. 6.
** Harduin. l. c. p. 817.
*** in Iuliano, c. 3.
**** diſſ. VI. de uſu & præſt. numiſ. p. 640.

III. c. 22 28. *de Gallo enim eiusdemque coniuge uerba faciens ait :* Καῖσαρ δὲ ἂν καὶ ΑΥΓΟΥΣΤΗΣ ἀνὴρ, καὶ γὰρ αὐτὴ πατρόθεν ἦν δεδεγμένη τὸ ἀξίωμα, *Cæſar cum eſſet & Auguſtæ maritus ; ipſa enim a patre hoc dignitatis nomen conſecuta fuerat.* Idem doctiſſimus uir * & ante eum Bulengerus ** ex Niceta ſcriptore Byzantino, obſeruarunt, ætate Comnenorum inualuiſſe nomen *Cæſariſſæ*, filiabus imperatorum, & uxoribus filiorum indi ſolitum, quem uero nominandi morem, ut multo recentiorem temporibus, quæ nos potiſſimum ſpectamus in illuſtranda Cæſarum Rom. dignitate, non curamus. Maioris momenti uidetur, inquirere in poteſtatem Auguſtorum, in nuptiis Cæſarum ſuorum ordinandis. Hanc ſane non exiguam fuiſſe, docent exempla, Hadriani, adoptantis Antoninum Pium ea lege, ut ipſe ſibi Marcum & Verum Antoninum adoptaret, filiamque ſuam Vero, non Marco (huic enim Hadrianus filiam Aelii Veri, Cæſaris quondam ſui, iam deſponſauerat) daret; *** Antonini Pii, diſſolutis prioribus ſponſalibus, filiam, Fauſtinam, M. Aurelio elocantis; **** ipſius M. Aurelii, L. Vero, qui quidem titulis & honoribus, non item poteſtate par ei erat, filiam Lucil-
lam

* l. c. p. 605.
** de Imperatore L. I. c. 4.
*** Spartian. in Aelio Vero, c. 6.
**** Capitol. in Ant. Phil. c. 6.

lam iungentis. * Intereſt enim principis, cauere, ne affinitatem contrahat deſtinatus heres, cum hominibus, quorum fidem non habet ſatis perſpectam, aut quorum naſcendi humilis conditio purpuræ eſt decori; neque inter potentes amicitia & fides ulla re magis quam nuptiis ſtabilitur. Conſtantium Chlorum, & Galerium Maximianum ſcimus hac conditione in faſtigium Cæſaris aſſumtos, ut repudiatis prioribus uxoribus, filias amborum Auguſtorum, Valeriam, & Theodoram ducerent. Iulianus, cum Cæſar a Conſtantio eſſet nominatus, ſororem eius Helenam coniugem accepit. ** Atque eam poteſtatem Imperatores non ſolum circa nuptias eorum, quos ad ſocietatem imperii uocarunt, ſed & reliquorum ſuæ familiæ utriusque ſexus, exercuerunt. Gallienum fratrum ſuorum filias coniugaſſe ſcribit Trebellius Pollio. *** Seianus, flagitante Liuia, Germanici ſorore, cum codicillos ſuper matrimonio eum ea ad Tiberium compoſuiſſet, abſtinere a nuptiis hiſce iuſſus eſt. **** Agrippina, Germanici uidua, Tiberium ut ſubueniret ſolitudini, & maritum daret, rogauit. ***** Idem Agrippinam Germani-

N

* Capitol. ibid. c. 7.
** Ammianus L. XV. c. 22. Eutrop. L. X. c. 7.
*** in Gallienis c. 11.
**** Tac. Annal L. IIII. c. 39. 40.
***** Tac. l. c. c. 53.

manici filiam coram Cn. Domitio tradidit, & in urbe nuptias celebrari iuſſit, & in Domitio quidem ſuper uetuſtatem generis, propinquum Cæſaribus ſanguinem dilegiſſe dicitur. * Alexander uero Seuerus ad matrem Mammæam ſcripſit: ** *Si Maximinus Senior dux noſter, & quidem optimus, non aliquid in ſe barbarum contineret, iam ego Maximino iuniori Theocliam tuam dediſſem;* (& paucis interiectis,) *hæc quidem cogito, ſed te tamen conſule, utrum Maximinum Maximini filium, generum uelis, an Meſſallam ex familia nobili, oratorem potentiſſimum, eundemque doctiſſimum.* Conſtantius etiam, Olympiadem, Ablabii præfecti prætorio filiam, & ſponſam fratris Conſtantis, Arſaci Armeniorum regi in matrimonium dedit; *** Honorius ſororem Placidiam, inuitam Conſtantio. **** Alteram etiam Placidiam, Valentiniani III. filiam iuſſu Marciani Olybrio nupſiſſe, auctore Euagrio *****, conſtat. Fortaſſis, quod ſine auctoritate principis nulli feminæ ex imperatoria familia maritum eligere licuerit, effectus eſt tutelæ illius, ſub qua perpetua mulieres apud Romanos ſtabant, quamue imperatores

po-

* Tac. c. 75.
** ap. Capitolin. in Maximin. Iun. c. 3.
*** Ammian. L. XX. c. 11.
**** Olympiodor. ap. Photium l. c. p. m. 111.
***** Hiſt. Eccleſ. L. II. c. 7.

Digitized by Google

potiſſimum ſibi arrogaſſe ceu dominis, & capiti familiæ credibile eſt. Certe nullas nuptias contrahere potuiſſe, uel in manum uiri conuenire feminam Romanam ſine tutoris auctoritate interpoſita, e loco Ciceronis quodam aſſeruit Illuſtr. Heineccius. * Denique uidua Cæſaris num priuato iterum nubere potuerit, quæſtio eſt non ex leuiſſimis. Equidem quæro adhuc eius rei exemplum. Attamen quominus Cæſariſſarum (liceat hac appellatione uti) nuptias, dignitati earum priſtinæ derogantes, locum habuiſſe credam, moueor auctoritatibus non omnino reiiciendis. Lucillam L. Veri uiduam, a patre M. Aurelio Imp. Claudio Pompeiano, equiti Romano in matrimonium datam Capitolinus refert; ** non ſine admiratione tamen, *cum Auguſta eſſet, & Auguſtæ filia;* neque quantopere nuptiæ & Fauſtinam matrem, & illam, quæ dabatur, male habuerint, reticeſcit. Si quis autem a facto M. Aurelii uiri prorſus ſingularis, qui uirtutem ſuper omnia habebat, ad reliquos principes concludere uellet, is certe contra primas Logicorum regulas impingeret. Valeriam Maximiam Galerii Aug. uiduam ad matrimonium ſollicitauit Maximinus Daza, a mari-

 to

* Antiqu. Iuris L. I. tit. 13. Dn. de Ludewig in libro de ætate legit. puberum, c. I, n. 29.

** in Anton. Phil. c. 20.

to in nomen Cæſaris aſſumtus, iamque Auguſtus a ſuis dictus. Sed recuſauit ea, poſtquam Auguſto Seniori eſſet coniuncta, conſcendere thorum iunioris, *nefas eſſe* prætendens, *illius nominis ac loci feminam ſine more ſine exemplo maritum alterum experiri.* * Vtraque fateor Auguſtum, non Cæſarem maritum habuit, at, quæ cauſæ Auguſtabus, quare dedecori ducerent ſecundas cum uiro imparis conditionis nuptias, eæ & uiduis Cæſarum, quæ & ipſæ non raro Auguſtæ ſalutabantur, fuerunt. Nempe maieſtatis uiri participes cum factæ fuiſſent, inſigniaque principatus plerumque retinerent, non ſolum ea non perdere, aut e ſublimi ſtatu gregi priuatorum denuo ſe immittere uolebant, uerum etiam memoriæ maritorum, inter deos relatorum, contumelioſum, in amplexus mortalis, nedum priuati alicuius uenire, putabant. Aliter res ſe cum filiabus Imperatorum & Cæſarum habuit. Has enim non ſolum conſularibus aut Senatoriis uiris, ſed & equitibus nupſiſſe conſtat. Quarum, & in affinium, quæ uiros interdum non nobilitatos, h. e. nullo inſigni officio ornatos habebant, gratiam, inuentum eſt a principibus priuilegium ſiue beneficium coniugii conſularis, quo dignitatis paritatem cum ceteris conſularium uxoribus conſeque-

* Lactant. l. c. c. 39.

ſequerentur, quodue aliis etiam interdum feminis datum diſcimus ex Vlpiani uerbis: * *nuptæ prius conſulari uiro impetrari ſolent a principe, quamuis perraro, ut nuptæ iterum minoris dignitatis uiro, nihilominus in Conſulari maneant dignitate, ut ſcio Antoninum Auguſtum Iuliæ Mammææ, conſobrinæ ſuæ indulſiſſe.* Seculo poſt Chriſtum natum quarto mos in imperio inualuit, ut uxores Conſulum certa dignitatis ſuæ inſignia, eademque quibus mariti utebantur, nimirum ueſtem auratam & pictam, faſciamque illam, ſiue lorum, collum & humeros, pectusque tranſuerſim ambiens, ** geſtarent. Ea deinceps, ſi cui feminæ dignitas conſularium gratia Auguſtali impertiretur, in ſignum collati iuris transmitti ſolebant, cuius moris Lampridius, quamquam per πρόληψιν, hiſtoricis frequentem, in uita Heliogabali meminit. *** Quominus enim hunc, aut ſimilem ritum temporibus huius principis uiguiſſe credam, moueor cum ſilentio auctorum aliorumque monumentorum communi, tum præcipue Vlpiani; qui, ſi dignitas conſularis feminis ſuo tempo-

N 3 re

* L. 12. D. de Senatorib.

** De hac faſcia conſulari, eiusque nominibus uariis uid. du Freſne in diſſ. de infer. æui numiſmat, num, IV. ſeq.

*** In Heliogabalo, c. 4.

re una cum ſymbolis certis conceſſa fuiſſet, certe in totum ea non reticuiſſet. Vix autem quidquam hac de re compertum haberemus, niſi Petrus Lambecius, uir incomparabilis, & Diuo Leopoldo carus, e pictura uetuſtiſſimi cuiusdam codicis bibliothecæ Vindobonenſis, Iulianam, Olybrii Auguſti filiam, Ariobindæ Conſuli nuptam, referente, eam nos edocuiſſet. *

XIII. De uotis publice pro ſalute Cæſarum ſuſceptis.

Id quoque maieſtatem Cæſarum loquitur, quod uotis omnibus, quæ pro ſalute imperatoris & imperii concipiebantur, nomina eorum inſerta fuerunt. Eximius fuit iſte honos, ita ut magnam ad imperium ſpem ei adderet, cui a principe datus eſſet. Memorabilis ſane eſt locus Taciti, ** de Tiberio, inuidenti Neroni & Druſo nepotibus ſuis, quod Pontifices, eorumque exemplo ceteri ſacerdotes, cum pro incolumitate principis uota ſuſciperent, eos iisdem diis commendarent. *Nam Tiberius*, inquit, *haud unquam domui Germanici mitis, tum uero æquari adoleſcentes ſenectæ ſuæ, impatienter indoluit, accitosque Pontifices percontatus eſt, num id precibus Agrippinæ aut minis tribuiſſent. Et illi quidem quamquam abnuerent, mo-*

* In Commentar. de Biblioth. Cæſar. Vindob. Tom. II. cap. 8.

** Annal. L. IIII. c. 17.

modice perſtricti, (etenim pars magna e propinquis ipſius, aut primores ciuitatis erant) ceterum in Senatu oratione monuit, in poſterum ne quis mobiles adoleſcentium animos præmaturis honoribus ad ſuperbiam extolleret. Atque ſic innumeri lapides, & numi, & loca auctorum, uota eiusmodi urbium & prouinciarum publica, ſuper ſalute, aduentu, felici itinere, reditu, Cæſarum pariter atque Auguſtorum teſtantur; quæ ſi coaceruare uellemus, operam perderemus in re indubia. Vnicum adferam Conſtantini M. exemplum, carmen militibus Chriſtianis præeuntis. In eo enim inter alia legimus uerba, * τὸν ἡμέτερον βασιλέα Κωνςαντῖνον, παῖδάς τε αὐτοῦ θεοφιλεῖς ἐπὶ μήκιςον ἡμῖν βίου σῶον καὶ νικητὴν φυλάττεσθαι ποτνιώμεθα, *tibi omnes ſupplicamus, ut imperatorem noſtrum Conſtantinum, una cum piiſſimis eius filiis incolumem & uictorem diutiſſime nobis ſerues.*

Natales Cæſarum, ludis Circenſibus, certaminibus omnis generis, ſacrificiisque, celebrari, ſicut Auguſtorum ſolebant. Iulio Cæſari, uti cetera maieſtatis inſignia delata ſunt, ita quoque, quanquam occiſo iam a triumuiris & Senatu decretum, ut natalis ab omnibus animo læto, lauroque coronatis celebraretur: qui id neglexiſſent, execrationibus XIIII. De Natalibus Cæſarum.

* Euſeb. de Vit. Conſt. L. IIII. c. 20.

bus Iouis, Cæſarisque haberentur obnoxii. Si Senator, aut filius Senatoris in eo deliquiſſet, is mulctam decies ſeſtertium penderet. * Idem poſtea in Auguſto & ſucceſſoribus ſeruatum eſt. Ludos in iis feſtis in urbe prætores, ædiles, alii etiam magiſtratus, in prouinciis præſides, legati, ædiles municipiorum curabant. Non autem ſolum dies natalis dicebatur is, quo hanc lucem primum adſpexerant principes, uerum etiam, quo in nomen Cæſaris aſſumti, ſiue imperium & Auguſtale faſtigium euecti ſunt. Vtriusque ſub Traiano celebrati meminit Spartianus, ** & adoptionis quidem natalem, quinto Iduum Auguſti die, imperii, tertio iduum earundem ſingulis annis ueniſſe dicit. Hos natalitios dies Cæſarum & Auguſtorum, prætereaque urbis Romæ & Conſtantinopolis, feſtos fuiſſe, quibus nec ius dicebatur, nec alius labor impune peragebatur, teſtatur Valentiniani, Theodoſii & Arcadii Augg. Conſtitutio in Codice ſuperans. *** Ceterum, uti bene obſeruauit Bulengerus, **** omnes fere dies, quibus præcipua quædam felicitas Romanis contigit, natales dicebantur. Cicero olim Nonas Decembres illas, quibus

* Dio L. XXXX. p. 225.
** in Hadriano c. 4.
*** L. 7. de Feriis. cf. Mamertinus in Genethl. Maximian. c. 2.
**** de Imperatore L. III. p. m. 209.

bus coniurationem Catilinæ detexit, natalem urbis uocauit, & qui in exilium pulſi eſſent eum, quo redierant. * Imo diis quoque natales ſui adſignati ſunt, quos etiam ex utero prodiiſſe credebant pagani, ridentibus merito, qui id tradunt, Minucio Felice, & Arnobio. Fuit autem honor ille, quo natalitii dies per omnem Romanum orbem feſtiuitatibus omnis generis celebrabantur, ita proprius Auguſtis, & qui proximo ab iis gradu rempublicam regebant Cæſaribus, ut uix unquam uxoribus principum aut filiis, nedum priuato, niſi Seiano, ** in quo homine omnia extraordinaria fuerunt, datum legere meminerim.

Maximo in primis ſplendore natales imperii ab Imperatoribus & Cæſaribus ipſis, & a populis *** ſubiectis, ſingulis quinquenniis aut decenniis finitis, peracti ſunt. Quinquennalia & Decennalia, eaque prima, ſecunda, tertia, ſeu, quod Seculo III. demum inualuit, Vicennalia & Tricennalia, peculiari nomine ab auctoribus iſti dies feſti appellantur. In numis frequentius genere potiori DECENNALES PRIMI, DECENNALES SECVNDI, ſubaudito uocabulo *Ludorum* dicuntur. Inſtituebantur

XV. Anni dignitatis Cæſareæ quinquennalibus & decennalibus diſtincti.

O au-

* Cic. pro Flacco, c. 40. Id. poſt. red. in Sen. c. 11.
** Dio L. LVII. p. 425.
*** Plinius Epiſt. L. X. 44. 101.

autem, ad ſoluenda ſolennia illa & publica uota, quæ Romæ & in reliquo orbe, uel in ſingula quinquennia, uel decennia etiam, pro ſalute imperii, & incolumitate principis, Senatu utplurimum ea decernente, ſuſcipi renouarique ſolebant. Verborum, quibus in urbe ante aram Iouis Capitolini concipiebantur, formulam, hanc propemodum fuiſſe, Noriſius tradit: *Preces poſco Iupiter, uti ſies uolens propitius in decennium N. Auguſto; (uel etiam Cæſari) quod ſi faxis, tunc tibi uotum boue aurato uouemus eſſe futurum. Ludis gladiatoriis fouemus eſſe futurum.* * Vota igitur hæc naturaliter præcedebant ludos, quippe qui edi haud poterant prius, quam tempus uoto expreſſum, præterlapſum eſſet. Indicantur in numis hoc modo, VOTIS. V. VOT. X. VOT. XX. XXX. XXXX. Itaque (uerba ponam Io. Harduini, ** qui rationem eorum apte deſcripſit,) *ſi in alicuius ſiue Auguſti, ſiue Imperatoris, ſiue demum Cæſaris numiſmatis, occurrit primum VOT. V. deinde VOT. X. ſic habendum eſt pro confeſſo, VOT. X. ſ. decennalia uota non fuiſſe ab eo ſuſcepta conceptaue, niſi quinquennalibus ſolutis. Nam citius ſi fieret, abſonum foret;*

* Adde Briſſonium de Formulis, L. I. n. CLXIIII.
** In de numiſmat. ſec. Conſtantiniani, p. m. 432. conf. du Freſne, in diſſert. de inferioris æui numiſmatib. n. XL.

foret ; quippe ſatis tempeſtiue uiceſimus imperii annus felix optatur, quum decimus, quem prius eſſemus adprecati ceſſit feliciter, nec ante noua concipere uota operæ pretium eſt, quam priora fuerint beneficio numinis impleta. Qui primum igitur uota quinquennalia concepit, deinde & decennalia, hunc, neceſſe eſt ſaltem ſextum uidiſſe ſuæ poteſtatis annum. Vndecimum uero, qui ſtatim decennalia, & poſtea uicennalia. Primum ſimiliter ac uiceſimum, qui uicennalia olim, deinde tricennalia uouerit. Nam, ut anno primo ſiue quinquennalia edi, ſiue decennalia mos fuit, ſic anno undecimo ineunte uicennalia, uiceſimo primo, tricennalia concipi ius & ratio & uſus poſcebat. Huic loco Harduini alius conuenit Nazarii, * *Quintum decimum*, inquit, *annum maximus princeps* (Conſtantinus M.) *ſalutaris imperii degit : ſed auguramur iam uicennalia, & uenturi fidem ſuperiorum felicitate ſancimus. Quinquennalia beatiſſimorum Cæſarum occupatos in gaudiis habent, ſed in deſtinatis decenniis iam uota properantia, & ſpes uolucres conſtituerunt. Horum dehinc compotes propagabimus optabilis boni ſeriem.* Originem horum uotorum Dio nos edocet. ** Nempe cum imperium Romanum, debellato anno

O 2 V. C.

* In Panegyr. c. 2.
** Lib. LIII. p. 343.

V. C. DCCXXI, IIII. Non. Sept. Marco Antonio, quaſi poſtliminio ad Cæſarem Auguſtum rediiſſet, hic, poſtquam omnia in ordinem redegiſſet, modeſtia ſine exemplo, de deponenda poteſtate orationem ad Senatum habuit. Obclamauere patres, atque ut retineret reipublicæ regimen, multis precibus tandem obtinuerunt. Verum, cum recuſaret uaſtiſſimi imperii onus per omnem uitam ferre, in decem tantum annos detulerunt. Id quod VII. Id Ianuar. anno V. C. DCCXXVII factum fuiſſe Henric. Noriſius ex antiquo lapide Narbonenſi demonſtrauit. * Poſtquam igitur primum decennium imperii Auguſti decurriſſet, aliud quinquennium, atque eo circumacto rurſus aliud quinquennium, poſt decennium, ac eo finito, iterum aliud decretum eſt; ita, ut continuatis decenniis per totam uitam imperii ſummam obtineret. Καὶ διὰ τοῦτο καὶ οἱ μετὰ ταῦτα αὐτοκράτορες καίτοι μηκέτ' ἐς τακτὸν χρόνον, ἀλλ' ἐς πάντα καθάπαξ τὸν βίον ἀποδεικνύμενοι, ὅμως διὰ δέκα ἀεὶ ἐτῶν ἑώρτασαν, ὡς καὶ τὴν ἡγεμονίαν αὖθις τότε ἀνανεούμενοι. Καὶ τοῦτο καὶ νῦν γίγνεται, *quam ob cauſam*, inquit, *poſteriores quoque imperatores, etſi non ad certum tempus, ſed per omne uitæ ſpatium iis imperium defertur, tamen ſingulis decenniis feſtum pro eius renouatione agunt, quod hodie etiam fit.* Hoc modo Iulianum Cæſarem clare Ammianus Marcellinus re-

* In diſſ. de uotis decennalibus, in calce diſſ. de duobus numis Diocletian. & Licinii, c. 1.

refert * quinquennalia ſua Viennæ celebraſſe; & de Cæſaribus uocabulum *imperare* aliquoties adhibet, ** quod apud alios etiam legiſſe recordor. Euſebius *** a Bulengero allegatus Diocletianum & Galerium δεκαετηρίδας καὶ εἰκοσαετηρίδας ἐν ἑορταῖς decennia & uicennia in feſtis expleuiſſe dicit; uotorum V. X. & XX. Criſpi & Conſtantini iunioris Cæſſ. mentionem numi eorum faciunt; **** neque Ammianus aliter, dum Conſtantium tricennalia imperii ſui Arelate theatralibus & Circenſibus ludis celebraſſe ſcribit ***** (quod anno a Chriſto nato CCCLIII. euenit) intelligi debet, quam ut ſtatuamus, Conſtantium numeraſſe initium imperii ſui non a morte parentis, quando nomen Auguſti conſecutus eſt, ſed a tempore aſſumtionis ad dignitatem Cæſaris, quod anno Chriſti CCCXXIII. d. VI. Idus Nouembr. factum Antonius Pagi euicit. † Idem doctiſſimus uir ex Faſtis Idatianis & Chronico Alexandrino probauit †† Conſtantium uno eodemque anno, nem-

 pe

* Lib. XXI. c. 1.
** e. gr. L. XIII. c. 40.
*** Lib. VIII Hiſt. Eccleſ.
**** Patinus in numiſm. Imperat. p. 467. Begerus in TheC Brandenb. p. 809.
***** Lib. XIII. c. 11.
† In diſſ. hypatica, P. II. c. 6, n. 4.
†† lib. cit. cap. 6. n. 11.

pe CCCLVI Romæ ſeptima Quinquennalia imperii Cæſarei, & Vicennalia imperii Auguſti celebraſſe. Eam tamen duplicem annorum imperii numerandorum rationem non fuiſſe obſeruatam omnibus Imperatoribus, concludo ex Inſcriptione quorundam numorum Iuliani, * VOTIS X MVLT. XX. Qui enim decennalia uota ſoluere Iulianus potuiſſet, qui ſex menſibus modo ultra annum ſummæ rerum ſolus præfuit, niſi eum dicamus annos dignitatis Auguſtæ coniunxiſſe cum annis nominis Cæſarei? Hoc addam, in libera republica uota quinquennalia pro ſalute reipublicæ non fuiſſe penitus ignorata. Nimirum cenſores, cum ſingulis luſtris cenſum populi finirent, inter ſolennia ſacrificiorum concipiebant uota, ut dii immortales Romanorum res meliores amplioresque facerent. ** Hic ritus ſub Auguſto adhuc manſit. Quamuis enim cenſus populi non amplius omnibus quinquenniis, nec ab alio fieret, quam a principe; tamen, cum ab eo inſtitutus fuiſſet, quod ter ſub imperio Auguſti factum conſtat, more ueteri uota pro æternitate imperii & ſalute principis nuncupata ſunt. De Auguſto enim ultimum agente cenſum Suetonius *** ſcribit, *cum lu-*

* Apud Begerum lib. cit. p. 823.

** Valerius Max. L. IIII. c. 1. n. 10. add. omnino Briſſonius de Formulis ſolenn. Lib. I. n. CLX, ubi exemplum uotorum in X. annos publice ſuſceptorum occurrit, e Liuii L. XXI. c. 62.

*** in Auguſto, c. 97.

luſtrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila eum ſæpius circumuolauit, transgreſſaque in uicinam ædem, ſuper nomen Agrippæ ad primam literam ſedit: quo animaduerſo, uota, quæ in proximum luſtrum ſuſcipi mos eſt, collegam ſuum Tiberium, nuncupare iuſſit. Nam ſe, quamquam conſcriptis paratisque tabulis, negauit ſuſcepturum, quæ non eſſet ſoluturus. Terminus igitur luſtri, cum tam ſolennis & ſacer eſſet Romanis, in mandanda Auguſto republica per quinquennia & decennia ad eum reſpexiſſe uidentur, uotaque imperatorum quinquennalia in locum tantum ueterum luſtralium & cenſoriorum ſucceſſiſſe; quæ cum in primos principis cuiuſuis annos V. nuncuparentur, quinquennalia dicta ſunt, repetita deinde in alios quinque, decennalia, porro quindecennalia & uicennalia, tricennaliaque.

De funeribus Cæſarum nihil fere auctores tradiderunt. Ea uero non minoribus ceremoniis & honoribus, quam Imperatorum Auguſtorum, facta fuiſſe, facile credo. Expreſſe etiam Spartianus * Aelium Verum Cæſarem ſepultum funere imperatorio, nec quicquam de regia, niſi mortis dignitatem habuiſſe ſcribit. Illos autem omnes hic deſcribere non lubet, propterea quod æque facile ex Gutherio, Gyraldo, Kirch-

XVI. De funeribus Cæſarum & conſecratione.

* in Ael Vero, c. 6.

Kirchmanno, & quos b. Fabricius in bibliographia antiquaria * adduxit, ſcriptoribus, inprimis e Paganino Gaudentio, qui de funere Cæſarum peculiarem & rarum inuentu librum conſcripſit, ** cognoſci poſſunt. Funeris ſolennia publicus excipiebat luctus, interdum iuſtitium, ſtatuæ Coloſſeæ, conſecratio. Hæc quidem ſub initium Monarchiæ ſolis Auguſtis, nec omnibus promiſcue, ſed qui bene & comiter ſe geſſiſſent, propria fuit; neque enim Tiberium, neque Caligulam, quorum memoriam abhorrebant Romani, neque Germanicum, cuius uirtute delectabantur, neque Liuiam ante Claudium, *** cœlo adſcriptos inuenimus; poſtea liberis, uxoribus, ſororibusque principum, data. Sororem Druſillam diuam dixit Caligula. Idem honor filiæ infanti Neronis, cum puluinaribus, æde, & ſacerdotibus decretus. **** Filium Domitiani paruulum ſupra globum collocatum, & ſtellis circumdatum, refert numus argenteus Domitiani ſatis notus; additur epigraphe IMP. DOMITIANI. F. DIVVS. CAESAR. Cum deinceps conſors imperii ſecundi faſtigii, ſub nomine Cæſaris ab Imperatoribus eligi ſoleret, & huic ordinarie diuinos honores poſt mor-

* Cap. XXIII.
** Florentiæ 1640. in 4.
*** Sueton. in Claud. c. 11.
**** Tac. Annal, XV, c. 23.

mortem attribuerunt. De indice etiam Imperatorum, Cæſarum, atque Auguſtarum, inter diuos relatorum inſtruendo, iam pridem cogitauit Onuphrius Panuinius, uir de antiquitatibus immortaliter meritus, in libro quem de ciuitate Romana edidit elegantiſſimo. * Ritum conſecrationis iidem, qui mores ueterum circa funera auctores illuſtrarunt, ex antiquioribus accuratiſſime Herodianus, ſcriptor hiſtoriæ Auguſtæ tradidit, **

Maieſtati faſtigii Cæſarum porro conueniunt miniſteria, quibus intra palatium ſuum iisdem atque Auguſti uſi ſunt. *** Quæ cum perſpicua ſigna principatus ſint, Cæſares demonſtrabunt non recte cum magiſtro equitum antiqui illius dictatoris, aut apparitore magiſtratuum comparari; potius eos ueros principes, ſocioſque imperii eſſe docebunt. Plerumque uero tam ad bellum, quam peregre ad regendam aliquam imperii partem proficiſcentibus, ab Auguſtis data leguntur. Sic M. Aurelius Vero fratri (cui, quamuis eſſet Auguſtus dictus, non maior poteſtas quam Cæſari obuenerat) ad bellum Parthicum miſſo, omnium officiorum

XVII. Miniſteria aulica Cæſarum eadem quæ Auguſtorum fuerunt.

P

* Cap. 28. apud Græuium Theſ. Antiqu. Tom. I. p. 224.
** Lib. IIII. c. 2.
*** Comitatus Auguſti, & comitatus Cæſaris peculiaris, meminit L. 7. Codicis de Malef. & Mathem.

rum principes addidit.* Valentinianus quoque, poſtquam fratrem ad ſocietatem Auguſtæ dignitatis uocaſſet, omnia, ὅποσα εἰς κόσμον καὶ τὴν ἄλλην ἔτελει θεραπείαν, *quæ ad imperii ornamenta & cultum, & reliquum ſatellitium pertinent*,** cum eo diuiſit. Summa autem aulæ imperatoriæ officia fuerunt, quamquam non uno tempore omnia inuenta, Præfecti prætorii, Magiſtri officiorum, Scriniorum, Præfecti ſeu Comitis cubiculi, Quæſtoris, Largitionum Comitis. Quorum, ut & aliorum inferiorum aulæ & imperii dignitatum rationes & inſignia, præter librum Codicis Theodoſi ſextum, & duodecimum Iuſtinianei, antiquum illud Theodoſii breuiarium, ſub Notitiæ nomine uulgatum, exhibet, eruditusque commentator Guido Pancirollus magis illuſtrat. Præfectum prætorio Carinus Cæſar, prouinciis occidentis a patre præpoſitus habuit; unoque occiſo, alterum ſibi conſtituit Matronianum. *** Erant autem præfecti illo tempore non ſolum prætorianarum cohortium, uerum etiam ſummi tam ſtatus & ciuilium negotiorum, quam militaris rei adminiſtri, comitesque Auguſtorum & Cæſarum in expeditionibus perpetui. Inſignem huius magiſtratus auctori-

* Capitol. in Ant. Phil. c. 8.
** Philoſtorgius, Lib. VIII. c. 8.
*** Vopiſc. in Carino, c. 1.

ctoritatem ualde deminuit Conſtantinus M. namque cum unus aut duo olim eſſent, quatuor non tantum inſtituit, adſignato ſingulis certo prouinciarum numero, ſed & omni poteſtate in milites priuauit, iurique dicundo uacare iuſſit. Qui igitur poſt Conſtantinum præfectura prætorii in prouinciis apud Cæſares perfuncti inueniuntur, ii non tam ad comitatum Cæſaris, quam inter ordinarios magiſtratus illius ætatis referendi ſunt, ſeu, quemadmodum Honorius & Theodoſius loquuntur, * *non ad uſum maieſtatis, ſed reipublicæ diſciplinam pertinebant.* Horum cognitioni omnes cauſæ ciuiles ordinarie ſubiiciebantur, ita, ut Cæſari non liceret auctoritatem ſuam litibus prouincialium interponere, niſi magnitudo cauſarum uel perſonarum cogeret, & præfectus prætorii arbitrio eius uolens locum daret. Libanius, Iuliani Cæſaris in Galliis agentis tempore, ſubditum refert ** magiſtratuum quendam furti poſtulaſſe, cauſamque coram Florentio tum temporis præfecto prætorii actam fuiſſe. Hunc autem, licet ſatis compertum ei eſſet, furem illum eſſe, imo licet tum quoque facinus eius manifeſte deprehendiſſet, in eum tamen, qui dicam illi ſcripſerat, iram conuertiſſe,

 reum

* Leg. 47. Cod. Theodoſ. de Operibus publ.

** In Orat. parentali in Iulianum, num. XLI. apud Fabricium Biblioth. Græc. Lib. V. c. 9. p. 231.

reum tanquam eiuſdem profeſſionis hominem ueritum. Cum uero neminem lateret, iniuſtam eum tuliſſe ſententiam, ipſiusque tandem aures iſtiusmodi pungerent ſuſurri, Cæſarem iſtius cauſæ iudicem conſtituiſſe. Hunc uero primo quidem munus iſtud refugiſſe, ſuarum id partium haud eſſe obtendentem. (οὐ γὰρ αὐτῷ τοῦτο καὶ δεδίεσθαι.) Talis etiam Præfecti Præt. in Oriente ſub Cæſare Gallo meminit Ammianus Marcellinus. * *Thalaſſius is erat, ipſe quoque arrogantis ingenii. is conſiderans incitationem eius, (Galli) ad multorum augeri diſcrimina; non maturitate uel conſiliis mitigabat, ut aliquoties celſæ poteſtates iras principum molliuerunt, ſed aduerſando, iurgandoque cum parum congrueret, ad rabiem euibrabat Auguſtum, (Conſtantium) actus eius exaggerando, creberrime docens, idque incertum, qua mente, ne lateret affectans.* Conſtantem, Conſtantini tyranni filium, Cæſarem, Zoſimus ** refert in Hiſpaniam, ad redigendam eam prouinciam ſub parentis obſequium, miſſum, ſecum habuiſſe στρατηγὸν μὲν Τερέντιον Ἀπολινάριον δὲ τῆς αὐλῆς ὕπαρχον· τῶν δὲ ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων ἄρχοντάς τε πολιτικοὺς ἅμα καὶ στρατιωτικοὺς καταστῆσαι, *ducem Terentium & Apolinarium præfectum prætorii, ac palatinis etiam ordinibus, magiſtratus tam ciuiles, quam*

* Lib. XIIII. c. 4.
** Lib. VI. c. 4.

quam militares dediſſe. Pari modo Iulianus, cum a Conſtantio Galliis præficeretur, præfectum prætorii habuit, ſicut uidimus, Florentium, * eoque, poſtquam Iulianus a militibus nomine Auguſti appellatus eſſet, aufugiente, ſucceſſor datus eſt Nebridius. Præfecti enim, & alii ſupremi officiales a ſolis Auguſtis dari ſolebant, quibus etiam ſingulari iuramento obſtringebantur. ** Hinc Domitianus, præfectus prætorio ad Gallum in Syriam miſſus, cum ſupplicium ei propter arrogantiam Cæſar minaretur, reſpondit οὐδὲ λογιστὴν ἔξεστί σοι προχειρίσασθαι, καὶ πῶς ἂν πραιτωρίων ἔπαρχον ἀνελεῖν δύναιο, *** *ne curatorem quidem urbis tibi creare licet, quonam igitur modo præfectum prætorio poſſes occidere?* Sic etiam Felicem, magiſtrum officiorum deſtinauit Conſtantius, quem tamen Iulianus reiecit, quod iam pridem alium ordinauiſſet. **** Præter Felicem, Ammianus Palladii cuiusdam, officiorum magiſtri ſub eodem Cæſare meminit. † Quæſtoris munere functus eſt idem Nebridius, †† quem ad præfecti dignitatem euectum modo diximus. Rectoris Protectorum domeſticorum, qui & idem in ordine

 Illu-

* Ammian. Marcell. L. XVII. c. 5. & XX. c. 22.
** Id. L. XX. c. 23. XXI. c. 10.
*** Philoſtorg. L. III. c. 28.
**** Ammian. l. c. c. 24.
† Lib. XXII. c. 3.
†† Ibid. L. XX. c. 23.

Illuſtrium * erat, Barbationis, ſub Gallo mentionem facit ſæpius allegatus ſcriptor, Ammianus, ** itemque cuiusdam Gorgonii *** cui cura thalami Cæſariani commiſſa fuit, ſiue, uti in Notitia, & Codice Iuſtiniani **** uocatur, Præpoſiti ſacri cubiculi. Porro Comite largitionum ſuarum uſos fuiſſe Cæſares, perſuadeor inſcriptione ueteri a Iac. Gutherio adducta, ***** in qua Rationalis ſummæ rei Nobiliſſ. Cæſaris Conſtantini occurrit. Hic enim titulus, comitem largitionum, ad cuius tanquam principis ſui officium pertinet, præſupponit. † Sintulum tribunum ſtabuli Cæſaris Iuliani, pariter refert Ammianus. †† Zoſimus, Salluſtium quendam, & Marcellum Iuliano in Gallias abeunti, ceu aſſeſſores, & conſiliarios adiunctos tradit. ††† Notariorum (ὑπογραφέων βασιλικῶν) ab Auguſtis attribui Cæſaribus ſolitorum munus, apud eundem legitur. †††† Numeroſum Galli Cæſaris comitatum tradit locus Ammiani: ††††† nem-

* Pancirollus ad Notit. Imperii. c. 89.
** Lib. XVIII. c. 7.
*** Lib. XV. c. 3
**** Cap. 60. & Tit. Cod. de Præp. Sacr. Cubiculi.
***** De Officiis domus Aug. L. III. c. 18.
† Not. Imp. Occident. ſub Illuſt. Comite Sacr. largition. & Pancirollus, c. 35.
†† Lib. XX. c. 5.
††† Lib. III. c. 2. & 5.
†††† Lib. III. c. 4.
††††† Lib. XIIII. c. 37.

Digitized by Google

nempe a Conſtantio euocatus, *& Hadrianopolim ingreſſus cum eſſet, inde aliis ſuper aliis urgentibus literis exire, & decem vehiculis publicis ut præceptum eſt, uſus, relicto palatio omni, præter paucos thori miniſtros ac menſæ, quos adduxerat ſecum, ſqualore concretus, celerare gradum compellabatur.* In primis ad ſplendorem dignitatis Cæſareæ faciebant ſcholæ Palatinæ, ſiue cohortes e lectiſſimis iuuenibus conſcriptæ, & ad cuſtodiam corporis adhibitæ. Hoc ſatellitio tam egregio Cæſares non minus, quam Auguſti, in peregrinationibus & proceſſibus publicis utebantur. Has etiam ſcholas Conſtantius, Gallum exercitu reliquo priuaturus, ſufficere maieſtati faſtigii Cæſarei tuendæ edixit, iisque ſolis contentum eſſe iuſſit. * Eas etiam, una cum plurimis aliis copiis Conſtantinus M. unicuique filiorum, inter quos prouincias uiuus diſtribuit, addidit. Diſerte Euſebius ** βασιλικὴ δ' ἑκάστῳ τῶν παίδων κεκλήρωτο παρασκευὴ, ὁπλῖται, δορυφόροι, σωματοφύλακες, στρατευμάτων τε τάγματα παντοῖα. Τούτων δὲ καθηγέμονες, λοχαγοὶ, στρατηγοὶ, ταξίαρχοι, ὧν τῆς ἐν πολέμοις ἐπιστήμης τῆς τε πρὸς αὐτοὺς εὐνοίας ὁ πατὴρ προειλήφει τὴν πεῖραν, *porro*, inquit, *ſingulis tributus erat regalis apparatus, Scutarii, haſtati, protectores, ac legiones* &

* Ammian. L. XIIII. c. 22.
** In uita Conſtant. L. IIII. c. 51.

& numeri militares, eorumque Rectores, centuriones, tribuni ac duces ii, quos pater in rebus bellicis exercitatiſſimos, ac praecipua erga filios fide, ac beneuolentia praeditos eſſe cognouerat. Ceterum, praeter haec officia ad ſplendorem aulae tantum facientia, omnes reliquos prouinciae aut dioeceſeos, in qua Caeſar agebat, magiſtratus ac praeſides, procuratoresque, ei paruiſſe conſtat. Non obſcure eam rem epiſtola Commodi ad Albinum Caeſarem data, nos docet. In ea enim Imperator ad procuratores ſuos literas ſe miſiſſe dicit, quas cum opus fuerit, rationalibus daret, ne eum non audiant, cum de aerario uoluerit imperare; paulo clarius adhuc, quae de Gallo narrat Ammianus*: *haec* (Iſaurorum) *latrocinia & irruptiones*, ait, *ubi fama uulgaſſet, miſſaeque relationes Gallum Caeſarem permouiſſent, quoniam magiſter equitum longius ea tempeſtate diſtinebatur, iuſſus Comes Orientis Nebridius, contractis undique copiis militaribus, ad eximendam periculo ciuitatem (Seleuciam) amplam & opportunam, ſtudio properabat ingenti.*

CA-

* Lib. XIIII. c. 8.

CAPVT IIII.

DE POTESTATE CAESARIS IN REGIMINE IMPERII.

HActenus iura ac prærogatiuas perſonam Cæſaris concernentia, nunc, quæ ei in republica regenda partes, uidebimus. Iuuabit autem meminiſſe, principum Romanorum poteſtatem, uel in rebus urbanis moderandis, uel in ſtatu prouinciarum ordinando ſe exeruiſſe. Prouinciæ, iure proconſulari & Imperatorio ſupremo, a tempore Cæſaris Auguſti iis competente, rectæ, urbs, pro diuerſa negotiorum ratione, nomine Conſulis, Pontificis, aut uirtute tribunitiæ poteſtatis, * adminiſtrata fuit. Nam quæcunque Cæſaribus noſtris potentia in republica unquam fuit, ea ad exemplum Auguſtorum data intelligi debet. De iure proconſulatus primo loco dicamus.

Q In-

* Fortaſſe mirabuntur nonnulli, quare Auguſtum, & ſucceſſores non potius nomine Principis omnia, præſertim res urbanas, in poteſtate habuiſſe dicam. At hi meminerint, nomen principis, quemadmodum iam uidimus, non eſſe nouiter tempore Auguſti excogitatum, ſed ſignificare Senatus principem eum quem libera reſpublica toties uidit. Hic uero titulus nihil potentiæ, aut imperii, plurimum dignitatis tribuit. Nam qui princeps Senatus olim

9. Poteſtas proconſularis non raro ante & poſt Traianum deſign. ſucceſſorib. Imper. data fuit.

Inſignis hæc potentiæ principalis pars delata interdum fuit ab ipſo Imperatore, aut conſenſu eius a Senatu, ſucceſſoribus deſtinatis. Qua quidem obtenta, poteſtatem in omnes prouincias, eamque maiorem, quam alius quisque magiſtratus ordinarius habebant. Primum extraordinariæ huius poteſtatis exemplum, uti notiſſimum eſt, in hiſtoria

---

oſim iudicio cenſorum electus fuiſſet, is omnes Magiſtra-
tus non modo anteibat, uerum etiam, ſi eius nomen ho-
noris cauſa cieretur, a nullo alio honore in republica geſto
aut Conſularis, aut Cenſorius, aut Prætorius cognomina-
batur, ſed Princeps Senatus tantum. Rationem eius red-
dit Paulus Manutius in libro de Senatu Rom. cap. 2. *quia
magiſtratum obtinere multi poſſent, princeps Senatus
legi nemo poſſet, niſi qui & magiſtratum ita geſſiſſent,
& omnia quæcunque ſummo ciue digna ſunt, ita in
omni uita præſtitiſſet, ut in ciuitate non modo ante-
ferri, ſed nec iure comparari quisquam uideretur.*
Nunc facile erit iudicatu, quare auctores, præſertim
primis poſt Auguſtum temporibus, nunquam dicant
Auguſtus Conſul, Auguſtus Cenſor, Claudius Procon-
ſul, uel aliud eiusmodi quidquam. Scilicet principem
dici inſtar omnium erat, uerum, ut poteſtatis actum
princeps perficere poſſet, poſtquam non abſolute, ſed
maioribus antiquis imperare, Cæſari & filio eius Auguſto pla-
cuiſſet, aut nomine uel poteſtate Conſulis, uel poteſtate
proconſulari, tribunitia, decreto Senatus delata opus
erat. Porro hoc exemplo monemur, auctores ueteres,
quamuis in rebus enarrandis & diiudicandis præſtantiſſimi
ſint, haud ita magnam accurationem in uerbis oſtendere,
quam etiam in Tacito, ſcriptore alias ſine pari deſidero,
dum initio ſtatim Annalium Auguſtum omnia nomine
principis ſub Imperium accepiſſe tradit.

ria Cn. Pompeii occurrit, cui, tradente Plutarcho in uita eius, cum bellum contra piratas gereret, omnes fere Romanæ prouinciæ quoad oram maritimam commiſſæ fuerant. Poſtea, cum reſpublica ad unum perueniſſet, multo amplior, & ad quaſcunque imperii prouincias extenſa, omnibus principibus, ſub ipſis regiminis auſpiciis, inter alia data fuit. Hi porro eam cum filiis & ſociis imperii communicarunt. Auguſtus ut Tiberio, quem adoptauerat, & tribunitia poteſtate, arrha futuri imperii, iam ornauerat, communis ſecum prouinciarum adminiſtratio a Senatu decerneretur, permiſit. * Antoninus Pius, poſtquam Hadriano adoptatus Cæſar dictus eſſet, patri & in imperio proconſulari, & in tribunitia poteſtate collega factus Capitolino dicitur. ** Idem M. Aurelium Cæſarem, poſtquam Fauſtinam duxiſſet uxorem, ſuſcepta filia, tribunitia poteſtate donatum fuiſſe, atque imperio extra urbem proconſulari, tradit, & iure quintæ relationis. *** Sunt etiam qui Germanico olim ſub Tiberio poteſtatem eminentem iſthanc additam putent; quo quidem locus Taciti eos adducit. **** Nempe Tiberius

Q 2 ibi

* Sueton. in Tiber. c. 18.
** In uita Anton. c. 4.
*** In uita Ant. Phil. c. 6.
**** Annal. L. II. c. 43.

ibi ad patres referre legitur, *non poſſe motum Orientem niſi Germanici ſapientia componi. Nam ſuam ætatem uergere, Druſi nondum ſatis adoleuiſſe. Tunc decreto*, pergit ſcriptor, *patrum, permiſſa Germanico prouinciæ, quæ mari diuiduntur, maiusque imperium quoquo adiſſet, quam his, qui ſorte aut miſſu principis obtinerent.* Verum, bene monuit Anton. Pagi, uir acerrimi iudicii, * quamuis extraordinarium imperium Germanico tum conceſſum fuerit, non tamen accipi de proconſulari poteſtate deberi ea, qua Tiberius polluit, & quæ inter Imperiales titulos relata eſt. Hæc enim ad uniuerſum orbem pertinebat, Germanico transmarinæ ſolum regiones parebant. Deinde, perpetua dari imperatoribus ſolebat; at quicquid iuris Germanicus habuit, id nonniſi ad tempus, quo res Orientis ordinatæ eſſent, concreditum uidetur. Aequa ſub Nerone auctoritas Corbuloni in prouinciis Aſiæ tributa fuit, iuſſis procuratoribus prætoribusque finitimarum prouinciarum obſequi eius mandatis. ** Nunquam autem quisquam Corbulonem proconſularis poteſtatis dixit participem. Poſt tempora Antoninorum nullum reperio Cæſarem in uniuerſali hoc proconſulatu collegam, reſeruantibus ſibi Auguſtis ius, in quo nobiliſſima potentiæ ſuæ

* In diſſ. Hypatic. P. I. c. 3. n. 34.

** Tac. Annal. L. XV. c. 25

ſuæ pars ponebatur. Quamuis enim Numerianus & Carinus, ambo dicantur PROCONSVLES in inſcriptione gemina apud Gruterum; * ex iis tamen, quæ mox inſequuntur, poteſtatem eorum ſatis quidem magnam, nec tamen uniuerſalem fuiſſe, uidebimus. Quamobrem, ſi cui Cæſarum una, uel plures prouinciæ regendæ aſſignatæ eſſent, quod uergente imperio ordinarie factum, iisdem, quibus ea finibus, imperium illius circumſcribebatur. Cæterum non militiæ ſolum in ſuis quisque partibus præerat Cæſar, ſed & iuri dicundo, ſaltem ante Conſtantinum M, cenſibusque, & tributis exigendis ſtudebat. In magiſtratibus prouincialibus conſtituendis, nulla ei auctoritas, quippe quos Auguſti omnibus officiis urbibusque dabant, & pro arbitrio reuocabant. Super negotiis grauioribus ad Auguſti ſcientiam referebat. ** Vno uerbo, qui nomine Cæſar erat, & princeps, is ſi poteſtatem ſpectes in prouinciis, ultra reliquos præſides non ualuit; ut Iulianus proinde haud abſurde ſeſe diceret ſpecie tenus purpuratum eſſe. *** Extraordinarium igitur aliquid fuit, quod Carino eadem prope quæ Auguſtis competebat, poteſtas in parte prouinciarum commiſſa eſſet. Qua quantum abuſus ad ma-

* Pag. CCLXXVIII.
** Ammian. L. XVII. c. 22.
*** Ammian. L. XX. c. 12.

la ſit, dicat Vopiſcus. * *Cum Cæſar, decretis ſibi Galliis atque Italia, Illyrico, Hiſpaniis ac Britanniis, & Africa, relictus a patre, Cæſarianum teneret imperium, ſed ea lege, ut omnia faceret, quæ Auguſti faciunt, enormibus ſe uitiis & ingenti fœditate maculauit. Amicos optimos quosque relegauit: peſſimum quemque elegit, aut tenuit: præfectum urbi unum ex cancellariis ſuis fecit, quo fœdius nec cogitari potuit aliquando, nec dici.* ** *Præfectum prætorii quem habebat occidit: in eius locum Matrimonianum ueterem conciliatorem fecit. Vnum ex his notarium, quem ſtuprorum & libidinum conſcium ſemper atque adiutorem habuerat, inuito patre Conſulem fecit.* *** *Superbas ad Senatum literas dedit.* Conſtantius etiam Conſtantini M. pater, cum Cæſar

* in uita Carini, c. 1.

** Nimirum tempore Carini. Cancellarii enim nomen nondum dignitatis eſſe cœpit, ſed ſeruum Oſtiarium indicauit, qui in cancellis pro oſtio principis hærebat, & ne quid tumultus audiretur proſpiciebat. v. Salmaſ. in comment. ad h. loc. Gutherius de Offic. L. III. c. 11. Iac. Gothofredus ad L. 3. Cod. Theodoſ. de Aſſeſſoribus, Domeſt. & Cancellariis.

*** Poteſtas autem faciendi Conſulis inter reſeruata Auguſtorum numerabatur. v. Henr. Valeſius ad Euſeb. Hiſt. Eccl. L. VIIII. c. 11. Ez. Spanheim Orb. Rom. c. 20. p. m. 340.

ſar eſſet, Hiſpaniæ, Galliæ, Britanniæque liberiori imperio præfuiſſe uidetur; certe non paruit Diocletiani & Maximiani Auguſtorum edictis, quæ Chriſtianos undique conquiri & ad ſupplicium rapi iubebant. *

II. Cæſares expeditionibus ſæpe præfecti. Imperium eorum militare paulo reſtrictius.

Proconſularis poteſtatis pars imperium in omnes exercitus eſt. Sed caue exiſtimes, Cæſaribus in conſortium proconſulatus aſſumtis parem fuiſſe atque Auguſtis apud legiones auctoritatem. Quis enim non uidet Auguſtos, dum ornarent deſtinatum heredem, noluiſſe præiudicium ſupremæ maieſtati ſuæ afferre? Itaque Cæſares præſertim Seculo poſt Chriſtum III & IIII nec omnibus in toto imperio imperabant, neque, an bellum gerendum eſſet, an minus, ipſi, ſed Auguſti cognoſcebant. Bellis præerant, aut ſoli, aut cum Auguſtis ſuis. Priori caſu tantum non omnia iura exercebant, quæ nomen imperatorium unquam tribuit. Intereſſe enim ſecuritatis ſuæ Auguſti crediderunt, moderari eorum potentiam in exercitu, aut additis ducibus atque tribunis, certiſſimis tantum hominibus, impedire, ne nouas res, & altiora molirentur. Ita e. gr. Cæſaribus non licuit tribunal, quod in caſtris e ceſpite ſtrui pro imperatore ſolebat, adſcendere, & ſolennem ad milites

* Euſebius de uit. Conſtant. L. I. c. 14. 15. 16.

lites allocutionem ex eo habere, * aut ſignis & uexillis ſtipatis procedere. ** Neque donare quicquam militibus, inſcio Auguſto, nec ultra modum præſcriptum, nec ſtipendium, niſi nomine eius ſoluere permiſſum fuit. Clare Ammianus, *** *cum Iulianus Cæſar*, ait, *in partes mitteretur occiduas omni tenacitate ſtringendus, nullaque poteſtate militi quicquam donandi delata, ut pateret ad motus aſperior exercitus; Vrſulus*, (Comes largitionum apud Conſtantium,) *datis litteris ad eum, qui Gallicanos tuebatur theſauros, quidquid poſceret Cæſar, procul dubio iuſſerat dari.* Donatiua autem Cæſares, uti ex innumeris hiſtoriæ Auguſtæ locis conſtat, militibus plerumque ſub initium imperii dabant; eaque non ſolum non facile modum trium aureorum egreſſa, † uerum etiam ſtipendii †† nomine

* Lipſius ad Tac. Annal. L. I. p. m. 17.

** Ammianus L. XVI. c. 28. & L. XX. cap. 10.

*** Lib. XXII. c. 4.

† Lampridius in Diadum. c. 2, & in Heliogabalo c. 26. Hanc tamen donatiuorum menſuram non ab omnibus ſemper principibus obſeruatam fuiſſe, exemplo Marci Aurelii & L. Veri docemur, uicena millia numum ſingulis prætorianorum ob participatum imperium promittentium, apud Spartianum in uita Antonini, c. 7. item Didii Iuliani, plus multo militibus argenti daturi, quam aut petere auderent, aut accepturos expectauerant. Herodian L. II. c. 6.

†† Ratb. Herm. Scholius in notis ad locum Polybii L. VI. Hiſt. apud Græuium Tom. X. pag. 1202.

mine a uulgo militum dicta fuiſſe deprehendimus. Ipſe Imperator Commodus modum loquendi uulgarem adhibuit in epiſtola ſæpius allegata ad Albinum: *habebis*, ait, *præterea cum id feceris dandi ſtipendii usque ad tres aureos liberam poteſtatem; quin & ſuper hoc ad procuratores meos literas miſi, quas ipſe ſignatas accipies ſigno Amazoniæ.* Quantum uero ad ſtipendium proprie ſic dictum attinet, illud nomine Imperatoris tantum, & præſente & aſſiſtente eo * plerumque militibus datum fuit Ammianus ſane de Syluano diſerte ſcribit, ** *die quinto antequam infulas ſuſciperet principatus, donatum ſtipendio militem, Conſtantii nomine allocutus eſt, fortis eſſet & fidus. Vnde apparebat, quod, ſi præſumere fortunæ ſuperioris inſignia conaretur, auri tam graue pondus expenderet ut ſuum.* Contra non immerito, auctoritatem Iuliani tantam apud milites fuiſſe, miratur, *cum Cæſar adhuc ſine ſtipendio eos regeret*, ut tumentes & armatos diſceſſurum ſe ad uitam priuatam minaretur, ni tumultuari deſiſterent. † Macrinus etiam dati a ſe ſtipendii, tanquam ſigni ſummi principatus, mentionem in epiſtola ad Senatum facit: †† *Tenebo*, inquit, *regimen, ſi & uobis*

* Schelius loc. cit. p. 1216.

** Lib. XV. c. 16.

† Lib. XXV. c. 14.

†† ap. Capitol. in uita Macrini c. 6.

bis placuerit, quod militibus placuit, quibus & ſtipendium dedi, & omnia imperatorio more iuſſi. Primi Imperatores, ut demulcerent Romanos monarchiæ inſuetos, nimium interdum Senatui detulerunt, neque in re ſtipendiaria, ſine auctoritate ordinis, aliquid ſtatuere uoluerunt: tanti nimirum momenti res uidebatur, immutare ulla in re ſtatum militarem. Hinc militum cauillationes aduerſus Tiberium apud Tacitum, * *nouum id plane eſſe* dicentium, *quod imperator ſola militis commoda ad Senatum reiiciat; eundem ergo Senatum conſulendum, quoties ſupplicia aut prœlia indicantur.* Domitianus non conſultis patribus, uti ad fidem pronius eſt, militi *quartum ſtipendium addidiſſe* dicitur Suetonio. ** Varias hic locus nactus eſt interpretationes; inter omnes autem, hæc ueritati quam proxime accedere uidetur. Nimirum ſtipendium militare, quod inde a Iulii Cæſaris ætate LXXV denariis, ſiue drachmis, uel quod unum idemque eſt, tribus aureis, (quorum ſinguli XXV. denarios *** ualerent,) ter anno, qua ternis ſcilicet menſibus, diſtribuendis, conſtabat, a Domitiano XXV denariis, ſeu unico aureo ſingulis uicibus, auctum eſt, ita, ut, pro ordinario qua-

* Annal. L. I, c. 26.
** in Domitiano, c. 7.
*** Dn. Rinck lib. alleg. c. XI. n. 7.

quadrimeſtri trium aureorum ſtipendio, miles in poſterum quatuor, ſiue XII per annum, loco VIIII ueterum acceperet. Nam quominus terminum quatuor menſium, diſtribuendo ſtipendio olim deſtinatum, reſtrictum a tempore Domitiani credamus ad tres menſes fuiſſe, (ex quo ſequeretur, milites quidem ternos uti olim aureos, at una uice ſæpius in anno accepiſſe,) quodue ſi rem ipſam ſpectes idem eſt, uti Eryc. Puteano * uiſum, moneor loco Ioan. Zonaræ, quem hic ſine dubio ex antiquo aliquo ſcriptore ſumſit, ** καὶ μετὰ ταῦτα ἐς Γαλατίαν ἐξορμήσας καὶ λεηλατήσας τινὰ τῶν πέραν Ῥήνου τῶν ἐνσπόνδων, ὤγκωτο ὥς τι μέγα κατωρθωκώς, καὶ τοῖς στρατιώταις ἐπηύξησε τὴν μισθοφορὰν, τάχα διὰ τὴν νίκην. Πέντε γὰρ καὶ ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἑκάστου (ſc. χρόνου τακτοῦ, τετραμήνου,) λαμβάνοντας, ἑκατὸν ἐκέλευσε δίδοσθαι, *in Galliam profectus, & trans Rhenum agros eorum, cum quibus pax intercedebat, populatus, quaſi re præclare geſta ſuperbiebat, aucto militibus ſtipendio. Nam cum eis ſeptuaginta quinque drachmæ, ſingulis ſtatutis uicibus (nim. IV quouis menſe) ſoluerentur, centum dari iuſſit.* Equidem Puteanus trimeſtre quale ſibi fingit ſtipendium, ab aliquo inſequentium imperatorum in quadrimeſtre non ſolum rurſus mutatum;

R 2 quin

* In libro de ſtipendio militar. cap. 9 - - 13. apud Græuium Tom. X. p. 1501. ſeqq.

** Annal. L. XI c. 19. p. 4, 8. conf. Tac. in uita Agricolæ.

quin imo etiam decurtatum illo aureo fuiſſe, quem Domitianus reliquis tribus nouo exemplo adiecerat, opinatur. At, ſicut inutiliter res in priſtinum ſtatum reducta dicitur, de qua an immutata unquam fuerit certi non ſumus; ita etiam in eo nimium uidetur ingenio ſuo indulſiſſe, quod ſine teſtimonio alicuius auctoris militem tam inſigni ſtipendii parte priuatum tradit. Incredibile enim eſt, ſilere omnem hiſtoriam de re, quæ ſine turbis, ſine cæde auctoris, quisquis ille fuiſſet, effici non potuiſſet. Imperatores etiam de augendis commodis militum potius, quam diminuendis cogitaſſe conſtat, quorum potentia a manu militari, uita ab amore pendebat. Sed optime component litem teſtimonia Suetonii & Zonaræ. Illi Domitianus *exhauſtus operum, & munerum impenſis, ſtipendioque, quod adiecerat, tentaſſe ad releuandos caſtrenſes ſumtus, militum numerum diminuere* dicitur, * hic uero ſtatim poſt ea, quæ adduximus, pergit, μεταμεληθεὶς δὲ τὴν μὲν ποσότητα οὐκ ἐμείωσε, τὸ δὲ πλῆθος τῶν στρατευομένων συνέστειλε. Καὶ ἑκατέρωθεν μεγάλα τὸ δημόσιον ἔβλαψε, μήθ' ἱκανοὺς τοὺς ἀμύνοντας αὐτῷ, καὶ τούτους μεγαλομίσθους ποιήσας; *huius largitionis cum pœnituiſſet, ſtipendiis non imminutis, ſed numero militum contracto, utraque re reipublicæ multum in-*

com-

* In uita eius cap. 12.

commodauit: quod nec ſatis erant, qui eam defenderent, & magna ſtipendia accipi debebant. Sed inſtat uir doctiſſimus, donatiua, militibus olim ab Imperatoribus & Cæſaribus data, dicens, uix unquam numerum trium aureorum transcendiſſe, quæ tamen propterea, quod cum ſtipendio ſimplici & ordinario conuenirent in quantitate, non raro ſtipendii nomine & ipſa, apud auctores ueniunt. Verum enim uero, neque paritas utriusque, neque ſtipendii Domitiani diminutio exinde conſequitur. Aeque enim facile credo militem uocaſſe ſtipendii nomine donatiua Imperatorum & Cæſarum, primo quod ordinarie ſub initiis imperii cuiusuis, ac in omnibus quinquennalibus & decennalibus, itemque uictoria inſigni obtenta, aut occaſione adoptionis Cæſaris, uel puerperii Auguſtæ diſtribui ſolerent; * deinde eo minus imperatores liberari ab eorum præſtatione uidebantur, ſi ſub nomine ſtipendii, quod militi iure debetur, uenirent. Tandem, quid ueroſimilius, quam ſtatuere, uulgus militum, incurioſum ueritatis & naturæ rerum,

 con-

* Imo & aliis praeterea occaſionibus. Paul. Diac. L. XI. allegatus Sam. Pitiſco in Lexico Antiquit. ſub uocab. *Donatiua; Cum ueniſſet*, inquit, *tempus, quo imperialia milites dona ſolent accipere, hoc enim agitur plerumque die Calendarum Januar. & natalis principum & urbium regiarum, &c.*

confudiſſe nomen ſtipendii & donatiui, cum utrumque lucro eis cederet? Licet igitur Cæſares minore poteſtate in exercitu, cui præfecti erant, gauderent, quam Auguſti, attamen parta uictoria pares cum iis honores obtinuiſſe, certiſſimum eſt. Sic ſimul cum Auguſtis triumphaſſe, cognomina a deuictis populis, aut Imperatoris cum inſignibus, adeptos eſſe, reperimus. De triumphis res eſt notiſſima. Imperatoris cognomen ob cæſos hoſtes, Auguſtus iam Tiberio & Druſo priuignis, * dedit; Tiberius, Germanico. ** Titus Cæſar expugnatis Hieroſolymis Imperator ſalutatus eſt; *** cui deinde uariis hoc nomen uicibus repetitum, ita, ut XV Imperator diceretur, antequam perueniſſet ad imperium. **** Item Seuerus filium Antoninum Baſſianum, uicto Albino, Imperatorem declarauit. ***** Quid? priuatos quoque quamuis perraro, ſub Cæſaribus adhuc, nomine & inſignibus imperatoris exornatos fuiſſe, exemplum Blæſi ſub Nerone docet. Caſaubonus etiam ex Oppiano obſeruauit, eum honorem ſub Hadriano, priuatis exercituum ducibus non-

* Tac. Annal. L. I. c. 3.
** ibid. c. 58.
*** Ioſephus de bello Iud. L. VI. c. 21.
**** Boſius de Pontif. Max. Imperatorum, c. 2. 3. 6
***** Spartian. in Seuero, c. 11. & 14.

nondum penitus ademtum fuiſſe. Aulus etiam Cæcinna, in lapide apud Thom. Reineſium, * Imperator exercitus Vitelliani feliciſſimus appellatur. Neque uero Imperatoris titulus Cæſaribus eo ſenſu ſolum, ante & poſt Neruam, quo, ſicuti Tacitus loquitur, priſci duces ob rempublicam bene geſtam, gaudio & impetu exercitus uictoris conclamabantur, attribuitur, nec cognominis locum ſemper occupat, ſed interdum etiam, quo ſummi orbis imperii poteſtatem indicaret, & uice prænominis ponitur. Hoc autem, quod mera Auguſti gratia iis obueniſſe quiuis facile uidet, Antonius Pagi ob poteſtatem proconſularem, iure debitum ſtatuit. En eius uerba: ** *Porro imperii collegas ob imperium proconſulare uulgo dictos fuiſſe Imperatores, imo & in numis Imperatoris prænomine inſignitos ex eo apparet, quod in prima imperii Romani diſpoſitione, nulli Cæſares prænomen illud, quod ſummam potentiam denotabat, tulerint, nullique a ſcriptoribus hiſtoriæ Auguſtæ Imperatores uocati, præter eos, qui imperium proconſulare perpetuum aſſecuti ſunt.* Ve-

rum

* Lib. I. Var. Lect. c. 17. Huius & Caſaubonianæ obſeruationis notitiam debeo Everh. Ottoni, ICto celeberr. in tract. de titulo Imperatoris Ruſſorum c. 2. exhibenti.

** Critica Baron. ad Annum Chr. CXLVII. n. 5. conf. ad Ann. LI. n. 2. & LXXXXVII. n. 7.

rum ſicuti nec Tiberius; neque Marc. Aurel. Antoninus, quos æque ac alios, Proconſules appellatos conſtat, hoc titulo unquam afficiuntur; (cuius rei ratio in moderatione utriusque quæſita, * an ſatisfaciat diſſentientibus dubito,) ita etiam fundamentum, quo opinio eius nititur, valde incertum eſt. Nempe, ſicut ſtante republica Proconſules Imperatores uocabantur poſt uictoriam & triumphum; ſic ea euerſa, Auguſtos, & imperii collegas Imperatores appellatos eſſe fingit, ob imperium proconſulare; cum hoc diſcrimine, quod in his Imperatoris uox nomini præpoſita, in illis, ſubiuncta fuerit. ** Non libet hic repetere, quæ eruditus ille eccleſiæ Romanæ Purpuratus, Noriſius, aduerſus hanc ſententiam, ingenioſam alias, oppoſuit; quippe apud ipſum Pagium ea maiori uoluptate lectum iri credo. Id tantum conſideret lector rogo, poſt Antoninos, cum nullus Cæſar uniuerſali proconſulatu amplius honoraretur, plurimos tamen Imperatores dici, & ipſum C. Cæſarem Auguſtum, V Conſulatu prænomen Imperatoris, XI autem imperium proconſulare accepiſſe. *** Iam uero principes nonnulli, non modo Imperatores, ſed & Proconſules nominatim leguntur in numis & la-

* ad Ann. CXLVII. n. 7.
** Ibid. n. 5.
*** Dio, L. LII. & LIIII.

lapidibus. * Debellatas gentes cognomina interdum Cæſaribus dediſſe, modo diximus. Harduinus in libro de antiquis numis populorum & urbium, ** numum Abilenenſium, ciuitatis trans Iordanem, Antonino, Seueri filio cuſum, e theſauro Golziano protulit, in quo Antoninus BRITANNICVS, ob uictoriam Britannicam, cum patre Auguſto reportatam, uocatur. Traiano in Germania militanti, ante etiam quam Cæſar declaratus eſſet, nomen Imperatoris, & Germanici miſſum eſt. *** Cognomina uero Germanici Druſo, Britannici Tiberio, Imp. Claudii filio, addita, nonne in hunc cenſum iure referuntur? Iam quærunt, utrum ſuis auſpiciis an Auguſti, res geſſerint Cæſares? Equidem uix habeo, quod reſpondeam, propterea quod ratio antiqui iuris publici Romani, & diſciplina augurum, maximam partem ſub Cæſaribus in deſuetudinem abierint. † Attamen, ſi quis ad modum ueterum loqui uelit, is certe ob ea, quæ de uero imperii conſortio Cæſarum tradidimus, neceſſe haberet dicere, omnia communibus auſpiciis peracta fuiſſe; non obſtante, quod Euſebia apud

S Zo-

---

* Gutherius de Offic. Dom. Aug. L. I. c. 41. Spanheim de Præſt. numiſm. diſſ. VIII. p. 710.

** Pag. I.

*** Plinius in Paneg. c. 9.

† Cf. Exc. Io. Iac. Maſcou. diſſ. de Iure auſpic. c. 6.

Zoſimum * de Iuliano in Cæſaris nomen aſſumendo, dicat, ſiue fortuna proſpera rebus gerendis utatur, faciet, ut imperatori felices illi ſucceſſus adſcribantur; ſi qua parte impegerit, morietur: neque, quod Ammianus * * ſcribat, omnia quæ Iulianus in Gallia glorioſe feciſſet, felicibus auſpiciis Conſtantii, adſignata fuiſſe. Quæ enim Auguſtis adulatione hominum eo loco adſcribuntur, non tollunt ea, quæ Cæſaribus iure ſuo debentur, neque quod Conſtantius, princeps timidus & malignus, *** impotenter egit, idem de aliis etiam ſtatuendum. Ceterum hoc quoque uerum eſt, Cæſares nonniſi ingentibus expeditionibus præfectos fuiſſe, minoris momenti res a legatis & ducibus geſtas. Itaque ipſe iam Tiberius, in hortis Campaniæ hærens, cum ad Senatum bellum, ſiue potius tumultum Gallorum perſcriberet, fide ac uirtute legatos, ſe conſiliis ſuperfuiſſe, affirmauit. Simul, teſte Tacito, * * * * cauſas, cur non ipſe, non Druſus (filius ſuus,) profecti ad id bellum forent, adiunxit, *magnitudinem imperii extollens, neque deco-* *rum*

* Lib. III. c. I.
* * Lib. XVI. c. 34.
* * * Cf. Mamertin. in Gratiarumact. ad Iulianum, c. 4. & Libanius in Orat. parentali in Iulian. n. 45.
* * * * Annal. L. III. c. 47.

rum principibus ſi una, alteraue ciuitas turbet, ommiſſa urbe, unde in omnia regimen. Eadem plane Domitiano adhuc Cæſari, cum ad compeſcendam Batauorum ſeditionem in Gallias properaret, Mucianus reſpondit: * *ſi ſtatus imperii aut ſalus Galliarum in diſcrimine uerteretur, debuiſſe Cæſarem in acie ſtare. Caninefates, Batauosque minoribus ducibus delegandos. Ipſe Lugduni uim fortunamque principatus e proximo oſtentaret, nec paruis periculis immixtus, & maioribus non defuturus.*

Tandem, quænam iura eximia, & officia in urbe Cæſares geſſerint, inquiramus. Sciendum uero eſt, quæ Imperatoribus Auguſtis, ſub imperii initium, ſemper a Senatu ſolennitatis gratia, decerni ſolebant, poteſtas tribunitia, cenſoria, ius conſulare ſ. relationum, Pontificatus, ea non item principibus ſecundi faſtigii, nec niſi Auguſto uolente, data fuiſſe. Inter dignitates uero, ad quas ſæpiſſime perueniebant, nobiliſſima & ampliſſima eſt Conſulatus. Actum agerem, ſi poſt tot ſcriptores antiquitatum Romanarum, in primis poſt laudatum Antonium Pagi, qui de conſulatibus Cæſarum & Auguſtorum librum doctiſſimum compoſuit, * * rationes huius offi- III. Dignitates urbanæ Cæſarum; & in ſpecie de conſulari dignitate.

S 2

* Tac. Hiſt. L. IIII. c. 85.
** Lugduni 1682. in 4.

officii pluribus exponerem. Præterea, non ſolum Cæſares, Conſules creati, uerum etiam priuati quamplurimi, imo barbari tandem curulem conſcenderunt. Hoc ſolum addam e Pagio, * quod huius loci eſt, nempe Cæſares, & Auguſtos ipſos, non habuiſſe pudori, conſulatus ſuffectos nonnunquam accipere. Conſules enim ſuffecti, qui iam a temporibus Auguſti, ** ordinariis, qui annum incipiebant, & nomine ſuo diſtinguebant, per binos, aut ternos, aut ſenos menſes ſubrogabantur, paulo ignobiliores habiti ſunt. Et e numero quidem Auguſtorum, ipſe Octauianus Auguſtus, anno urbis DCCXI, Q. Pedio collega, conſulatum ſuffectum iniit; C. Caligula, ipſo imperii ſui initio, Nero uero, quo interfectus eſt anno, geſſere. E Cæſaribus, Pagi Domitianum allegauit, qui, imperante patre Veſpaſiano, toties conſul ſuffectus eſſe uoluit, quoties frater Titus ordinarius proceſſit; itemque Gallienum iuniorem anno a Chriſto nato CCLVIIII. Fuluio Aemiliano & Pomponio Baſſo, & Galerium Maximinum, Galerio Maximiano anno CCCXI ſuffectos. Hoc etiam Cæſaribus, aliisque Imperatorum filiis

* Part. I. c. 5.
** Sueton. in Aug. c. 26.

filiis imperio deſtinatis, ſingulare datum fuit, ut ante annum legibus requiſitum tam ad Conſulatum quam ad alios honores proueherentur. Inter alia enim hæc dignitas præcipue ei, cui uel ante legitimam ætatem data, uel etiam iterata priuato eſſet, imperium orbis ominabatur. * Caium ac Lucium Auguſti nepotes, Cæſares, nec dum poſita puerili prætexta, principes iuuentutis appellatos, deſtinatosque Conſules, refert Tacitus; * * clarius autem rem tabula tertia monumenti Ancyrani, a Iac. Gronouio reſtituti, exponit. In ea legitur, *Caium & Lucium filios meos* HONORIS. MEI. CAVSA. SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS. ANNVM. QVINTVM. ET. DECIMVM. AGENTIS. CONSVLIS. DESIGNAVIT. VTRVM. (*ut eum*) MAGISTRATVM. INIRENT. POST. QVINQVENNIVM. Neroni pariter cum togam uirilem accepiſſet, Senatus conſulatum anno uiceſimo ineundum decreuit. * * * Germanicus, conſulatum nondum prætura functus, obtinuiſſe Dioni dicitur. * * * * Item Commodus Cæſar ante tempus Conſul factus eſt, auctore Capito-

* Pagi Crit. Baron. ad A. Ch. CXVII, num. 4.
* * Annal. L. I. c. 3.
* * * Tac. Annal. XII. c. 41.
* * * * Lib. LVI. p. 400.

lino. * Tandem Seculo IIII. eo deuenit res, ut uel infantes principum filii, Conſules deſignarentur. De Iouiano Ammianus, ** *cum introiiſſet*, inquit, *Ancyram, paratis ad pompam pro tempore neceſſariis, conſulatum iniit, adhibito in ſocietatem trabeæ filio ſuo, admodum paruulo; cuius uagitus pertinaciter reluctans, ne in curuli ſella ueheretur ex more, id quod mox accidit, portendebat.* Honorius etiam bimulus nomen Conſulis obtinuit. Claudianus eo alludit uerbis, ***

- - - - Inter cunabula Conſul
Proueheris ſignans poſito modo nomine faſces,
Donaturque tibi, qui te produxerat annus.

Muneris conſularis præcipua pars in referendis ad Senatum negotiis, auctoritatem & conſcientiam patrum requirentibus uerſabatur. **** Tale relationis ius Auguſto poſtea, etiamſi conſul non eſſet, datum fuit. Perſpicue de eo Dio Caſſius: †

Καὶ

* In Ant. Philoſ. c. 22.
** Lib. XXV. cap 34.
*** De IV Conſul. Honor. v. 154.
**** Io. Zamoſcius de Sen. Rom. Lib. II. c. 9.
† Lib. LIII. p. 351.

Καὶ διὰ ταῦτα ἡ γερουσία δήμαρχόν τε αὐτὸν διὰ βίου εἶναι ἐψηφίσατο, καὶ χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς ὅπου ἂν ἐθελήσῃ, καθ' ἑκάστην βουλὴν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ, ἔδωκε, *ea propter*, inquit, *Senatus decreuit, ut tribunus perpetuus eſſet, & referre poſſet de una aliqua re, quoties ſenatus haberetur, licet conſul non eſſet.* Succeſſoribus deinde eius, non tantum par poteſtas delata eſt, ſicut ex fragmento legis illius Regiæ apud Gruterum * patet, uerum etiam, cum Auguſto de una re tantum ad Senatum quemuis referre liceret, amplificata, tertia & quarta relatione addita, qua facultatem uno Senatus die, tres aut quatuor diſtinctas res proponendi adipiſcebantur. ** Hæc inſignis prærogatiua num ordinarie Cæſaribus data fuerit, non auſim affirmare, neque exemplum eius, poſt tempora Neruæ & Traiani, quibus Cæſaris dignitas nouam illam, quam hoc libro delineauimus, faciem accepit, præter M. Aurelium Antoninum, inuenio, cui, uiuente patre, ius quintæ relationis, unacum poteſtate tribunitia & imperio proconſulari tributum. *** Sed ante Neruam, ſimile quidquam Domitiano Cæſ. ſub initium imperii patris decretum fuit. Neque enim aliud Tacitum & Sue-

* Theſ. Inſcript. p. CCXLII.
** Gutherius de Offic. dom. Aug. L. I. c. [illegible]
*** Capit. in uita eius, c. 6.

Suetonium in animo habuiſſe credo, cum Domitianum imperio, ſiue poteſtate conſulari præditum ſcripſiſſent. * Firmatur etiam mea ſententia iis, quæ Tacitus de Domitiano refert; ** nempe *eum ad Senatum de reſtituendis Galbæ honoribus retuliſſe, alioque Senatu, de abolendo dolore, iraque, & priorum temporum neceſſitatibus inchoaſſe.* Hoc autem extra omnem dubitationem poſitum eſt, filios Imperatorum & Cæſares interfuiſſe Senatui. Locis auctorum ſupra allegatis, *** addam non minus inſignem, monumenti Ancyrani; ibi enim, *Caius & Lucius Caeſſ.* VT. EX. EO. DIE. QVO. DEDVCERVNT. (*deducti erunt*, ſecundum mentem Gronouii) IN. FORVM. VT. INTERESSENT. CONSILIIS. PVBLICVS. DECREVIT. SENATVS. Item Auguſtus, poſtquam ob ſenectutem, qua in Senatum ire prohibebatur, conſiliarios annuos uiginti, quibuscum domi ſuæ de republica conſultaret, ſibi adiunxiſſet, iidem ſui nepotes iſti conſiſtorio adſcripti ſunt, decretumque, ut, quæcunque Auguſtus cum his, & conſulibus, deſignatisque conſulibus, cum adoptitiis ſuis nepotibus, ac reliquis, quos quoque

* Tac. Hiſt. L. IIII. c. 5. Sueton. in Domit. c. I.
** Hiſtor. L. IIII. c. 40. 44.
*** Pag. 23. ſqq.

que tempore aſſumſiſſet, deliberans ſtatuiſſet, rata non minus, quam ſi in curia ſtatuta fuiſſent haberentur. * Porro, primis Monarchiæ Romanæ temporibus, Cæſares interpretes ſæpe, ſententiæ & uoluntatis Imperatorum in Senatu egerunt. Nimirum hi, tum ob abſentiam, tum ob inſcitiam artis oratoriæ opus habebant, id, cuius Senatum certiorem fieri uolebant, e ſcripto, aut per quæſtorem, * * uti ſexcentis locis iſti homines uocantur, aut per filios exponere. Inde orationes principum ortæ, quarum in Digeſtis tam frequens mentio fit, & quæ in fontibus iuris Romani merito numerantur. Itaque Auguſtus ſenectute iam grauis, cum Germanicum Senatui, & Tiberio Senatum ſcripto commendaret, Germanicus, uti conſueuerat, recitauit. * * * Titus Cæſar patris nomine epiſtolas ipſe dictaſſe, & edicta conſcripſiſſe, orationesque in Senatu recitaſſe, uice quæſtoris, Suetonio dicitur. * * * *

Nonnulli deſignatorum imperii heredum, antequam trabeam conſularem conſequerentur, prætoris urbani officio etiam functi ſunt. Aelium Verum Cæſ. præ- IIII Cæſares Pratores interdum facti.

T

* Dio L. LVI. p. 401
* * Cf. L. un. D. de Offic. Quæſtoris.
* * * Dio, L. LVI. p. 401.
* * * * In Tito, c. 6.

prætorem fuiſſe Spartianus tradidit. † Gordiano, aduerſus Maximinum, Imperatore nominato, Senatus nepoti eius Cæſareum nomen & præturam decreuit. †† Neque opus eſt conquirere plura exempla.

V. Item Quæſtores.

Quæſtoris munus etiam, præſertim primis imperii temporibus, ſubiiſſe deprehendo. De Tiberio conſtat quæſturam, in urbe undeuiceſimo anno geſſiſſe. ††† Tiberius Neronem, e Germanici liberis, commendauit patribus, ut quinquennio maturius, quam per leges, quæſituram peteret, †††† & Antoninus Pius M. Aurelium Cæſarem eidem, gratia ætatis facta, præfecit. †††††

VI. An morum præfectura iis quoque commiſſa fuerit?

Cenſuram perpetuam, ſiue, uti loqui maluerunt, præfecturam morum, Senatus Iulio Cæſari & Auguſto decreuit. Et e cenſoria quidem poteſtate, ius in uitam & mores Romanorum inquirendi, cenſus agendi, in equeſtrem ac Senatorium ordinem adſcribendi, aliosque ex eo remouendi pro ſuo arbitrio, conſecuti ſunt. †††††† Inter ſucceſſores Augu-

† In uita eius, c. 3.
†† Capitol in Maximin. c. 16.
††† Vell. Paterc. L. II. c. 94. Suet. Tiber. c. 9.
†††† Tac. Annal. L. III. c. 29.
††††† Capitol. in Ant. Phil. c. 5.
†††††† Dio L. LIII. p. 344.

guſti, pauci munus Cenſoris & nomen geſſerunt, tantum abeſt, ut aliis dederint. Neque ullus principum ſecundi faſtigii, a tempore Traiani, licet ad tribunitiam & proconſularem dignitatem fuiſſent euocati, titulo Cenſoris reſplenduit. Odio enim habebant principes, utplurimum impotentes ſui, & flagitioſiſſimi, eos, quorum notam quotidie incurrerent; neque uero ipſi, ſine riſu aliorum munere, quod ſanctiſſimis tantum grauiſſimisque hominibus conuenit, fungi poterant. Fortaſſis ob id etiam nulli Cæſarum tributa eſt cenſoria poteſtas, quod iuniores magnam partem eſſent, regimen autem morum ſenem uirum, & uirtute clarum requireret.

VII. Tribunitia poteſtas Cæſaribus ſæpe conceſſa.

Inter titulos, quibus ſupremam potentiam Iulius Cæſar, & Auguſtus ſibi dari uoluerunt, inprimis conſpicua eſt Tribunitia poteſtas, cuius rationem ſupra uerbis Celeberrimi Schwarzii expoſui. Satis in præſenti erit monuiſſe, Cæſares imperio deſtinatos plerumque eam primo & ſecundo ſeculo accepiſſe. Imo Auguſtus Agrippæ ſuo, qui tamen in nomen & genus Cæſarum nunquam tranſierat, in quinque annos dedit, & ad alios quinque deinde prorogauit. * Agrippa mortuo, Tiberius Auguſti priuignus anno urbis DCCXXXXVIII, octo tan-

* Dio, L. LIIII. p. 359. 367.

annis ante, quam adoptatus eſſet, * eo honore in quinque annos ſimiliter ornatus eſt; quibus prætérlapſis, priuatus usque ad diem adoptionis remanſit; tum enim ** Auguſtus ad patres de reddenda Tiberio poteſtate tribunitia in decem annos de nouo retulit. Tiberius etiam Druſo filio eam a Senatu petiit. *** Titus Suetonio, **** collega patri in tribunitia poteſtate, & VII. conſulatibus dicitur. De Antonino Pio, & M. Aurelio, res nota eſt. Commodus quoque Cæſar particeps eius factus, † & Philippus Iunior, idque cum ſcriptores, tum numi eius declarant. †† Poſt Philipporum ætatem, tribunitiam poteſtatem, æque ac imperium proconſulare, non inuenio Cæſaribus amplius datam. Cæterum obſeruatio Schwarzii meretur, quæ hoc loco recenſeatur; ††† *nimirum eos, qui in conſortium poteſtatis huius adſciti fuerunt, plerumque ad ſpem ſuccedendi uocatos eſſe, idque indicare Tacitum, qui refert, ab Octauiano Auguſto M. Agrippam, &* *hoc*

* Pagi l. c. P. II. c. 11. n. 4.

** Dio L. LV. p. 379.

*** Tac. Annal. L. III. c. 56.

**** In Tito, c. 6.

† Capitol. in Anton. Phil. c. 28.

†† Vid. Schwarzius, in Diſſ. de tempore Ludorum Sæcular. ſub Philippis. n. 11. 12.

††† In Diſſert. de tribunitia poteſt. Cæſarum, n. 18.

hoc defuncto, Tiberium Neronem tribunitiæ poteſtatis ſocios delectos fuiſſe, NE SVCCESSOR IN INCERTO FORET. Hinc & ipſum Tiberium decepiſſe Seianum; qua impetrata hic ſperare cœpit in imperio ſucceſſionem, & Dione memorante, in curiam inſiluit. Deinde, quamuis hæc tribunitia poteſtas ipſis huiusmodi collegis ſpem imperii aliquando conſequendi afferret, neque exiguam conciliaret auctoritatem, attamen, primum illam ipſam ſpem non adeo fuiſſe firmam, quia penes Auguſtum primarium fuit, an tribunitiæ poteſtates Cæſarum continuandæ eſſent. Deinde, quia haud obſcurum eſt, Collegas illos non facile ſumma tribunitiæ poteſtatis iura, quæ ipſis Auguſtis hoc nomine tribuebantur, exercuiſſe, niſi forte aſſenſionis ſ. approbationis Auguſtorum certiores eſſent. Ipſam modeſtiam Cæſarum non admiſiſſe plenum poteſtatis exercitium. Neque credibile eſſe Auguſtos uoluiſſe, ut ſibi collegium tribunitiæ poteſtatis fraudi eſſet, ne quicquam agere poſſent, niſi ex collegarum in tribunitia poteſtate conſenſu. Haud abſurde porro hoc loco quæritur, quo iure Anton. Pagi diſcrimen inter Cæſarem, & Collegam imperii, etiam poſt Traiani tempus * ſtatuat.

 Nem-

* In crit. Baron ad A. Chr. CXXXVIII. n. 2.

Nempe collega ut quis haberi poſſit, requiri, tribunitia poteſtate donatus ſit, & proconſulari imperio dicit: nomen Cæſaris, imperii futurum heredem, ſine ulla poteſtate ſignificare. * Non examinabimus, num hæc diſtinctio locum in imperio ante Traianum habeat, quippe ad hunc usque principem nomen Cæſaris gentile manſerat, & ſingulis Imperatoris cuiusque filiis iure naſcendi tributum. Poſt Traianum, quare eundem, qui Cæſar appellatus eſt, & Collegam imperii, & heredem faſtigii Auguſtalis credam, cauſas allegabo. Primo, nullo ſcriptoris teſtimonio, aut alius monumenti fauore hæc diſtinctio iuuatur; potius plurimi auctores conſortium imperii Auguſtos inter, & Cæſares loquuntur; inprimis uero Libanius clare & perſpicue expreſſit, ** nomen Cæſaris, quo Gallus a Conſtantio honoratus eſt, dicens μετουσίαν τῆς βασιλείας κατὰ τὸ δεύτερον σχῆμα, *conſortium imperii ſecundi gradus.* Deinde Cæſares, ſeu nacti eſſent proconſularem & tribunitiam poteſtatem, ſeu minus, iisdem inſignibus ſemper, imo iisdem, quibus Auguſti, uſi ſunt. Conſideremus porro, iura & priuilegia illa, prolixe ſupra deſcripta, omnibus

* Vide, quæ ad Ann. XI, LXXI. n. 3. & LXXII. n. 1. ſuper hac re ſcribit.

** In Orat. parent. in Iulian. n. VIII. ap. Fabricium loc. cit.

bus promiſcue Cæſaribus data eſſe. Iam credis, nomen alicuius edictis imperialibus ſimul cum Auguſti nomine præſcriptum, imagines in urbibus & caſtris cultui hominum expoſitas, uultus monetæ ordinarie inditos, niſi is ſocius potentiæ Auguſtis eſſet agnitus? Equidem non nego, multum Cæſari illi, cui Auguſtus tribunitiam poteſtatem & proconſulare ius nominatim decreuit, acceſſiſſe honoris præ aliis, qui neutra gaudebant. Verum, quemadmodum illos poteſtatis actum aliquem inſignem, absque Auguſti ſui iuſſu exercuiſſe credibile non eſt, ita hos unicum Cæſaris nomen, quia æque ad nutum principis omnia peragebant, auctoraſſe, conſequitur. Itaque certum manet, tribunitiam & proconſularem poteſtatem, tanquam ſuperfluos titulos, non nocuiſſe Cæſari, qui eos non haberet, quo minus ab omnibus conſors & collega imperii, ordine tamen ab Auguſto ſecundus, putaretur. Sed pueros, imo infantes nonnunquam Cæſares appellatos urges. Ego uero repono, plura adhuc contra mores antiquos, & naturam & finem dignitatum, uergente præſertim imperio, facta fuiſſe. Et, ſicut nemo adhuc conſules rectores & capita Senatus fuiſſe negauit, propterea quod Gratianum, Honorium, aliosque paruulos conſpexiſſet in faſtis; ita etiam Cæſares merito orbis moderatores cum Auguſtis perhibentur, etſi, qui tam ſplendidum no-

nomen gereret, is interdum curæ nutricis, & pædagogi auctoritati adhuc ſubiiceretur.

VIII. Idem an ad Pontificatum etiam Max. ab Augg. uocati fuerint? Regimen ſupremum omnium ſacrorum, & religionum cura, cum nomine Pontificis Maximi, ad Imperatores peruenit, ſine quo ualde imperfectam maieſtatem ſuam fore crediderunt. Quæſitum nonnullis eſt, an honor Pontificis Maximi, & poteſtas, ſicut reliqua, cum Cæſaribus etiam communicata fuerit? Fuerunt, quibus eam rem lapides quidam ac numi Tiberii, Titi, & Domitiani, Cæſarum, apud Gruterum, Panuinium, & Occonem, Pontificis Max. titulum inter alios habentes, perſuaderent: at oſtendit ſolidiſſime cum uitia, quibus monumenta illa laborant, tum præcipitatas eorum qui ita ſtatuunt, ſententias, uir doctiſſimus Io. Andr. Boſius, in commentatione peculiari de Pontificatu Imperatorum. * Firmiter itaque ſtatuimus, imperium ſacrorum, & nomen Pontificis ſummi, inter reſeruata Auguſti manſiſſe, neque iis, quos cum nomine Auguſti, ad eundem dignitatis gradum nonnulli Imperatores elegerunt, niſi poſt Alexandri Seueri tempora, * * additum, multo minus Cæſaribus collatum fuiſſe. Interea, hi, ut perdiſcerent naturam & ordinem religionum & ad Pontificis M. officium cum decore gerren-

* Cap. II. n. 4. ſeqq. ap. Græuium Tom. V. p. 270.
* * Boſius l. cit. n. 17.

rendum, præpararentur, non ſolum inter Pontifices cooptari, uel Auguris, uel alius cuiusdam ſacerdotii honore affici, uerum in omnia etiam ſacerdotum collegia ſupra numerum aſſumi ſolebant. * Idque prius interdum fiebat, quam per ætatem, per leges eſſent idonei. Auguſtum, inter reliqua ſubſidia dominationi, Claudium Marcellum ſororis filium admodum adoleſcentem pontificatu & curuli ædilitate extuliſſe, ſcribit Tacitus. ** Eodem auctore, Druſus Germanici, cum togam uirilem ſumſiſſet, (ſed & hæc non raro in filiis Imperatorum maturata fuit,) cuncta, quæ fratri eius Neroni, Senatus decreuerat, inter quæ Pontificatus fuit, accepit. *** Claudius ſub Tiberio, nulla alia ex cauſa, quam, quod Liuiam auiam haberet, a Senatu Sacerdos Auguſtalis extra ordinem factus eſt. **** Neronem Claudii filium, Cæſarem, quatuor ſummis ſacerdotum collegiis adſcriptum docet lapis hic apud Gruterum. *****

U NE-

* Cf. Gutherius de Iure Pontificio, L. I. c. 9. Spanheim de Præſt. numiſm. Diſſ. VIII. p. 669.

** Annal. L. I. c. 3.

*** Annal. L. III. c. 4.

**** Sueton. in Claud. c. 6.

***** Theſ. Inſcript. p. CCXXXVI n. 9.

NERONI.
CLAVDIO. AVG. F. CAISARI
DRVSO. GERMANICO.
PONTIF. AVGVRI. XVIR. S. F.
VIIVIR. EPVLONI.
COS.
PRINCIPI. IVVENTVTIS.

Marcum Aurelium Hadrianus octauo ætatis anno in Saliorum collegium retulit, * & Commodus, Cæſar, decimo quarto inter ſacerdotes, i. e. augures, nobiliſſimis collegiis annumerandos, adſcitus eſt **

VIIII. Modi dignitatis, Aug. Cæſaribus conſequendi, mors Auguſti, aut uoluntaria collatio.

Ea in republica regenda Cæſarum poteſtas, quam ſatis hactenus deſcripſimus, neque tum quidem multum aucta fuit, cum uiuente Imperatore ſuo, axiomate primi faſtigii, & nomine Auguſti decorati eſſent. Neque enim Capitolini teſtimonium de Lucio Vero aliter ſtatuere nos ſinit. Duo autem Auguſtalis nominis conſequendi fuere modi, nempe mors Imperatoris, aut uoluntaria aſſumtio. Qui enim proprio facto, ex Cæſaribus Auguſtos ſeſe gererent, ſin minus gauderent conſenſu Senioris ſui, (uti ultimis imperii temporibus uocantur Auguſti primarii,) ii non pro legitimis principibus, ſed pro tyrannis, & per-

* Capitol. in Anton. Phil. c. 4.
** Lamprid. in Commodo, c. 1.

perduellibus habebantur. Inter eos, qui uiuis & uolentibus Imperatoribus, Cæſares, ad conſortium nominis Auguſti euecti ſunt, primus fuit L. Verus, M. Aurelii collega. Filium etiam M. Aurelii L. Commodum, patre ſuperſtite, & ante annum Chriſti quidem CLXXVIII, Auguſtum ſalutatum, Ant. Pagi e numo quodam Mediobarbi, ubi AVG. TR. P. II. IMP. II. dicitur, demonſtrare contendit. * Antoninum Caracallam imperatoriis inſignibus quidem ſcio ornatum, de addito a patre nomine Auguſti, dubito. Quamuis enim multis in numis & inſcriptionibus lapidum coniunctim cum eo AVGVSTVS dicatur, id tamen mori illius ſeculi potius attribuendum, quam iuri ex declaratione patris acquiſito. Ea ætas, quod in nomine imperatorio & Auguſto, principibus ſecundi gradus impertiendo, nimis eſſet prodiga, factum eſt, ut recentiores auctores interdum neſciuerint, utrum filii quorumdam Imperatorum ad Cæſaris dignitatem ſolum, an ad ſupremum Auguſti faſtigium peruenerint; id quod in Diadumeno ſigillatim annotauit Lampridius. ** Deinde etiam obſtant, quæ Spartianus refert. *** *Se-*

U 2 *ue-*

* In Critica Baroniana ad An. CLXXV. n. 5.

** In uita eius, c. 2. conf. Iſ. Caſaubonus ad Capitolini Gordian. c. 9. item, Capitolin. in Max. & Balb. c. 15.

*** In Seuero, c. 18.

uerus, ait, *cum pedibus æger bellum moraretur, idque milites anxie ferrent, eiusque filium Baſſianum, qui una erat, Auguſtum feciſſent, tolli ſe atque in tribunal ferri iuſſit, adeſſe deinde omnes tribunos, centuriones, duces, & cohortes, quibus auctoribus id acciderat; ſiſti deinde filium, qui Auguſti nomen acceperat: cumque animaduerti in omnes auctores facti, præter filium iuberet, rogareturque, omnibus ante tribunal proſtratis, caput manu contingens, ait, tandem ſentitis caput imperare, non pedes?* Gordianus III., quem Balbino & Maximo uiuentibus Cæſarem fuiſſe conſtat, in Senátus conſulto ob Maximinos cæſos facto, Auguſtus uocatur. * De Philippo iun. Auguſto a patre dicto, res magis certa eſt, probatque duplex numerandi annos imperii eius ratio, in lapidibus & nummis. ** Gallieni etiam dignitas Auguſta, uiuente & imperante patre Valeriano, extra dubium eſt, item Gratiani, Licinii, Arcadii, Honorii & aliorum. Defuncto Imperatore quilibet Cæſar in omnia iura eius, & titulos ſuccedebat, neque auctoritate Senatus, aut exercitus, nec electione noua opus habebat. Poſſediſſe enim antea, cum Auguſto ſuo imperium, licet

* Capitol. in Maximinis, c. 26.
** Schwarz de Ludis Sæcul. ſub Philippis, n. 12.

licet impari ordine dignitatis, nec poteſtate omnimodo libera, ſed ex uoluntate ſuperioris exercenda, dicendus eſt. Tum quidem nouus iſte Auguſtus ſolenniter tam ad Senatum & populum, ſi Romæ eſſet, quam ad exercitum procedere ſolebat, ſupremum ſe principem oſtenſurus, ſicut multis hiſtoriæ Auguſtæ, & Ammiani præſertim locis conſtat. Prorſus ſingulare eſt, quod de filiis Conſtantini M. annotauit Henr. Valeſius ad Euſebium; * nimirum, cum pater mortuus eſſet, die XXII Maii, anno Chriſti CCCXXXVII, eos ante V. Idus Septembres titulum Auguſti non accepiſſe, imperiumque tribus menſibus ac dimidio ſine Auguſto fuiſſe, filiis nomine Cæſareo, quod a patre acceperant, contentis; idque confirmari ſubſcriptione epiſtolæ cuiusdam Conſtantini iunioris ad Alexandrinos, ** die XV Cal Iulias eiusdem anni datæ, ubi Cæſar tantummodo appellatur; Euſebii etiam uerba eo tendere de Conſtantino, ἐβασίλευσε μετὰ θάνατον μόνος θνητῶν μακάριος, *ſolus etiam poſt mortem imperauit princeps beatiſſimus.*

In imperio Romano hodierno, quod penes Germanos eſt, Regem habemus Romanorum, in aliis conuenientem Cæſari ueteris Romæ, in aliis diſſimilem & nobiliorem, neque ſecundum Romanas leges ſed

X. Dignitas Regis Rom. hodierni, antiquæ illi Cæſaris aliquo modo ſimilis eſt.

* De uita Conſtant. L. IIII. c. 67. conf. Relandus in Faſtis Conſular. ad ann. Chr. CCCXXXVII.

** Apud Athanaſium ſub fin. apolog. II.

ſed Germanorum mores iudicandum. Cuius notitia & iura cum accuratione tradenda, ſicut peculiarem tractationem requirunt; ita hanc Spartam omnibus applaudentibus in ſe ſuſcepit uir poſt fata etiam celeberrimus Chriſtian. Godofr. Hofmannus, Anteceſſor Viadrinus, edita eleganti commentatione *de Rege Romanorum uiuente Imperatore electo.* * Faxit DEVS, ut, pro auertendis interregni periculis Germania mox uideat Regem Romanum, dignum olim principe populo Imperatorem, dignum ſucceſſorem MAGNI CAROLI.

* Francof. ad Viadr. a. 1733.

Digitized by Google